




CURCULIONIDUM DISPOSITIO METHODICA

CUM GENERUM CHARACTERIBUS, DESCRIPTIONIBUS ATQUE OBSERVATIONIBUS VARIIS

SEU

PRODROMUS

AD

SYNONYMIAE INSECTORUM

PARTEM IV.

AUCTORE

C. J. SCHOENHERR,

REG. SVEC. COLLEGII COMMERCII CONSIL. ACAD. REG. SCIENT. HOLMIENS.- SOC. IMP. NAT. STUDIOS. MOSCOV. - ACAD. ITAL. - SOCIET. NAT. SCRUTAT. BEROL. - WETTERAV. - GOTHOB. ATQUE SOC. PHYSIOGR. LUND. CET. MEMBRO.

LIPSIAE

APUD FRIDERICUM FLEISCHER.

1826.

Quam multiplicata sunt opera tua, *Jehovah!* Omnia ipsa in sapientia fecisti: impleta est terra possessionibus tuis.

Psalm. CIV. 24.

LECTORI.

Quae de opusculo hocce Lectori praecipue praemonenda habui, una cum Tabula Synoptica in Ephemeride Isis inserta, jam in medium proposui. Nonnulla inde repetens, alia quaedam heic addenda putavi.

In continuanda, quam inchoavi, Synonymia Insectorum occupatus, non potui, quin familiae Curculionidum perlustrandae studium adhiberem singulare quidem et diuturnum. Immortalis de LINNÉ vix centum hujus familiae species novit, septingentas recensuit OLIVIER, FABRICIUS circiter septingentas et octoginta; mihi vero contigit, ut mille et septingentas inspicere et examinare potuerim. His si adnumerantur aliae, quibus quidem careo, quas tamen plene et exacte alii descripserunt auctores, numerus hujus familiae, inter Coleoptera ditissimae, duo certe millia excedit.

Familia tam numerosa aliter ac usque adhuc, tractari poscere mihi visa est. Illam vero systematice disponere eo difficilius fuit, quo rarius partes cibariae, quae ad characteres generum essentiales constituendos vulgo adhibentur, conspicuae sunt, sed filiformi et quam maxime

gracili rostro plerumque includuntur. Omnino igitur necesse visum est mihi, ut ad alios characteres genericos recurrerem. Hos ex antennis, rostro ceterarumque partium essentialium forma externa requisivi.

Forsan tamen in eo reprehendar, quod generum saltem magis vulgarium et numerosorum partes cibarias examinare et exponere haud conatus sum. Cum vero subtilissima rostri structura impediret, quominus id in omnibus fieret, nec unquam, me quidem judice, Systema quoddam certum characteribus, qui tam difficile determinentur, inniti possit; et quaedam praeterea genera ita sint rara, ut ipse non possiderem, sed ex aliorum collectionibus mutuo acciperem individua examinanda, quae tamen dissolvere mihi non licuit; has itaque partes omnino omittendas duxi. Interdum quoque vidi, partes cibarias, magis etiam conspicuas, ex gr. mandibulas, forma et qualitate valde differre in speciebus de cetero maxime affinibus et structura simillimis, ut in subgenere Phloeotribi et Euparii, generis Anthribi, et hinc quoque nova accessit caussa, quae, ne nimiam harum partium haberem rationem, me deterruit.

Id imprimis egi, ut copiosae huius Familiae varie formatas species in catervas seu series naturales congererem; quibus nomina imposui generica, cum id haud dubie majorem memoriae adferat commoditatem, quam multitudo Sectionum et Subdivisionum, numeris notatarum. Quit nunc est scientiae hujus status, dum paucarum adhuc specierum vitae consuetudo et metamorphosis inno-

tuerunt, paucaeque partes cibariae rite examinatae sunt, intempestivum forsan esset, sperare fore, ut jam constitui possent genera perfecte naturalia. Quae cum aliquando constitui possunt, hae tamen, quas congessi species, certe cohaerebunt, vel ut propria genera, vel ut Subgenera et Subdivisiones aliorum generum; quod autem verae rerum naturalium scrutationi minoris erit momenti. Huic tamen fini obtinendo hanc specierum praeviam congestionem haud inutilem putavi.

Omnes, quas admisi, Divisiones naturae, non plane, quod equidem fateor, conveniunt, cum interdum genera, quae, si alias respexeris partes, propinqua videntur, longe separent; has tamen Subdivisiones, rationibus artificiosis innixas, multitudini tam confusae et quasi chaoticae ordinandae adhuc prorsus necessarias duxi. Ne Orthoceri quidem et Gonatoceri, ut Ordines, naturae omnino innituntur; affinitas certe quaedam, plura quoad genera, illos intercedit; tales vero characteres, ex quibus facilius discernantur, his ordinibus definire conatus sum.

Sensim forsan Dispositio generica naturae magis consentanea fieri poterit. — Ne vero, in transponendis speciebus ab alio in aliud genus, commutatione quoque nominum specificorum et rescriptione rubricarum opus sit, quod in majoribus saltem Musaeis magnum adferret temporis dispendium, his omnibus generibus nomina imposui masculina, qualia habent genera majora, jam antea masculine nominata ex gr. Curculio, Rhynchaenus, Rhynchites, Anthribus, Brenthus, Lixus etc^ra^.

Quae vero commendarunt auctores recentiores nomina foeminina, et pauca sunt, nec horum caussa perutilem, ut opinor, regulam abjicere volui.

Nomina generica, ab Entomologis celeberrimis, GERMAR, DEJEAN, MEGERLE cet. his temporibus condita interdum mutavi. Cum enim ad haec nomina nulli expositi sint characteres generici, quibus certe innotescere potuit, quodnam Insectum pro typo adhibuerint, et diversas etiam in generibus construendis regulas sequamur, unde factum est, ut unum eorum genus in plura ego diviserim, in horum nominum locum alia substituere necesse mihi fuit.

Plures certe Entomologos hocce meum conamen in omnibus haud probaturos, non possum, quin ominer. An igitur illud in medium proferrem, haesitavi. Inopia vero, qua adhuc laboravimus, operis plene systematici hanc circa familiam copiosissimam et ardens meum desiderium, ut haud exigua, quae mihi contigit, collectione scientiae carissimae aliquid afferrem incrementi, omnem mihi haesitationem exemit. Animadversionibus, quas circa Tabulam meam Synopticam in Iside propositam, Entomologorum nostri temporis princeps, LATREILLE, in Bulletin des Sciences naturelles et de Geologie inseruit, breviter heic respondeam.

Minus recte a me factum contendit Celeberr. LATREILLE, quod familiae huic nomen Curculionidum imposuerim, cum alia quoque comprehendat genera, ut Bruchum et Attelabum, quae diversa descripsit Linné. Hujus in nominis locum nomen Rhynchophori resti-

tuendum ipse commendat; quod tamen, mea ex sententia, ambiguitatem adferret, cum hoc nomen generi Calandrae primum imposuerit Herbst. *). Praecipua vero caussa, cur hanc animadversionem probare non possim, haec est, quod LINNÉ generi suo Curculionis, paucis modo exceptis, omnes hujus familiae species adnumeravit. Heic utique eandem, quam Celeberr. LATREILLE, secutus sum regulam, qua ex genere quodam primario tota nominatur familia, ex gr. Carabici, quamquam Odocantham ut speciem Attelabi posuerit LINNÉ; Cerambycini, etsi ut genus diversum Lepturam habuerit idem; Chrysomelinae, licet jam diversam statuerit Cassidam, ut alia omittam. Cur nomina terminationis tantum masculinae scripserim, nec partes cibarias ad characteres genericos significandos adhibuerim, jam supra ostendi. — Quod dedit Celeberr. LATREILLE promissum, se ex partibus cibariis genera hujus familiae dispositurum, forsan jam certo spondet, hoc illi conamen prospere successurum.

Quantum fieri potuit, omnem adhibui operam, ut accuratior et regulis systematis semper consentiens essem. Quae mihi deest facultas linguae satis bene utendae eruditorum descriptionibus meis molestam forsan aequalitatem attulit, et in hac quoque re intelligentium expeto indul-

*) Nec probanda mihi videtur, quam (Nov. Act. Ups. Vol. VII.) proposuit celeberr. THUNBERG, denominatio: Coleoptera rostrata, cum plura sint genera, ut Lycus, Stenostoma, Mycterus, Rhinosimus (Salpingus) etc. quae omnia, licet hujus non sint familiae, rostro instructa sunt.

gentiam. Quoties cetera permiserunt negotia, per annos quadraginta, lubens vacavi scientiae, ex qua maximam cepi oblectationem, quaque haud parum ad summam omnium rerum Originem mens mea erecta fuit, et jucundissimum mihi esset laboris praemium si ad carissimam excolendam scientiam hocce meo conamine aliquid conferre valuerim.

In ordinando Systemate mihi met ipsi non semper satisfeci, nec unquam speravi, primum in hac materia tentamen mihi omnino prospere successurum. Licet enim natura summi saepe ordinis et congruentiae plenam se nobis contemplandam sistat, oculis tamen nostris hebetibus atque obtusis confusa interdum videtur et fere chaotica. Artifici summae sapientiae suam debet originem, nec angustis, prospectui nostro positis finibus, quos Systema vocamus, includi patitur. Altius sane profundiusque illam contempletur necesse est, quisquis verum illius ordinem atque tenorem perspicere velit. Illuc vero demum, lente licet et pedetentim, omnia et singula nostra tendant conamina!

Si vero quodam usus fuerim successu, eundem magna ex parte pluribus meis scientiaeque amicis deberi, gratissimus agnosco. Dom. GERMAR, Professor Halensis celeberrimus, qui ipse bene atque prospere hanc tractavit familiam, summa cum benignitate varias mecum communicavit annotationes graves atque doctissimas, cum circa diversarum corporis partium structuram, tum circa quaedam nova ab ipso nondum descripta Curculionidum genera, et liberaliter mihi hanc dedit veniam, ut quidquid

ex illis et quantum voluerim, ad meum usum adhiberem. Cum vero genera nostra diversis innitantur fundamentis, alioque prorsus ordine disponantur, cumque laetam foveam spem, fore, ut in familia hac ulterius examinanda et describenda operam ipse suam continuet, illius inventa et observationes promulgare ineptum putavi, contentus iis quae proprio Marte efficere potuerim. Liberalitati vero illius et in me benevolentiae summas debeo agoque gratias. Illustriss. Comes DEJEAN, (Parisiis) qui eximie hanc amat et colit scientiam, summa sua liberalitate et litterarum commercio mihi utilissimo, me sibi devinctissimum reddidit. Dom. STEVEN, Consil. Stat. et Entomologus eximius (Symphoropoli in Tauria) plurimos Curculiones rarissimos mihi liberalissime condonavit. Popularibus meis atque amicis dilectissimis, aestimatissimo, et meritissimo Dm. GYLLENHAL, Summ. Excub. Praef., et Dm. Professori DALMAN, Entomologorum sollertissimo, quorum saepe consiliis et opera adjutus sum, satis dignas numquam persolvere possum gratias. — Plures quoque alii amici, huic operi, quod per decem annos lucubravi, magno fuerunt adjumento: Dom. Professor BESSER (in Volhynia.) D. Consiliar. Dicast. Camer. BILLBERG (Holmiae), D. FREYREISS (Brasiliae), D. Consiliar. Aulicus. GEBLER (in Sibiria), Generos. Comes MANNERHEIM (Petropoli), D. STURM (Norimbergae), D. Prof. et Commend. THUNBERG (Upsaliae), D. WESTERMANN (Hafniae), D. de WINTHEM (Hamburgi), omnes quasi aemula liberalitate certantes plurima summi

pretii individua hujus praesertim familiae mihi donarunt. Nec heic silentio praetereunda sunt, quae mihi praestiterunt officia hujus vel illius nominis, Celeberr. viri. Dom. Profess. SAHLBERG (Aboae) de Hist. Natur. Finlandiae meritissimus, qui summo cum studio quasdam antea incognitas Curculionidum species descripsit, D. Profess. Ad. AFZELIUS (Upsaliae), D. Subcentur. BOHEMAN (Smolandiae), D. Profess. FALLÉN (Lundae), D. Consiliar. Stat. Act. FISCHER DE WALDHEIM (Mosquae), D. Praepos. GRAPE (Lapponiae), Dom. HOOKER, Esq. (Norvichiae), D. Praef. Mus. Nat. MEGERLE v. MÜHLFELD (Viennae), Dom. Prof. REINHARDT (Hafniae), D. Senator. SCHNEIDER (Stralsundii), D. SPENCE, Esq. (Hulliae), D. Marchio illustriss. SPINOLA (Genuae) et D. Prof. ZETTERSTEDT (Lundae). Omnem mihi praestitam humanitatem gratissimo semper recondam pectore, et optarem, ut hocce meum in scientia nostra communi conamen horum amicorum quodam modo saltem satisfaceret exspectationi.

Sparresöter prope Scaram d. 7. Octobr. MDCCCXXV.

CORRIGENDA.

pag. 21. Gen. 170. Tapeinotus — leg. Tapinotus.

pag. 49. lin. 9. linaara — leg. lineare.

NOTIFICATIO.

Primo quoque tempore, quam potissimum potest, *Synonymiam Insectorum*, ad quam post partem tertiam jam dudum editam, necessarium apparatum conquisivi, jam porro continuandam suscipere animus est.

DISPOSITIO METHODICA

CURCULIONIDUM.

— — — — — et audere non dedecet.

Quintilian.

TABULA SYNOPTICA

FAMILIAE CURCULIONIDUM.

TARSI QUADRI — ARTICULATI. — CAPUT PLUS MINUSVE ROSTRATUM; OS APICALE; MANDIBULAE SAEPISSIME PARVAE, VALIDAE; PALPI CETERAEQUE PARTES MINUTAE, OCCULTATAE. — ANTENNAE ROSTRO INSERTAE, SAEPISSIME APICE CLAVATAE. — CORPUS IN PLERISQUE DURUM.

	Species nobis cognit.
Ordo 1s. ORTHOCERI.	
Antennae non fractae, h. e. ad articulum secundum haud geniculatae; scapus (articulus basilaris) non valde elongatus.	
Sectio 1ma. Antennae articulis 11, 12.	
(*Divisio* 1ma. **Bruchides**: Rostrum latum, deflexum. Antennae sensim crassiores, serratae aut pectinatae, in paucis clavatae, 11 — articulatae. Tarsi distincte 4—articulati, articulo penultimo bilobo.)	
Genus 1. **Bruchus** Auctorum.	
Typus: Bruch. Pisi Auct.	90
Genus 2. **Rhaebus** Fisch.	
Typus: Rhaebus Gebleri Fisch. . .	1
Genus 3. **Urodon** nob.	
Typus: Anthrib. sericeus Fabr. l. rufipes Latr.	2
(*Divisio* 2a. **Anthribides**. Rostrum latum, deflexum. Antennae clavatae, 11 — articulatae. Elytra	

anum haud occultantia. Tarsi indistincte 4 — articulati, articulo secundum plerumque tertium subincludente.) | Species nobis cognit.

Cohors 1ª. Clava antennarum angusta, subincrassata; articulo ultimo acuto.

Genus 4. Anthribus Auctor.
Typus: Anthr. albinus Auct. 2

Subgenus A. Phloeotragus nob.
Typus: Anthr. heros Fabr. . . 3

Cohors 2ª. Clava antennarum abrupto - incrassata, subcompressa, articulis subapproximatis.

Subgenus B. Ptychoderes nob.
Typus: Anthr. elongatus Germ. 2

Subgenus C. Platyrhinus Clairv.
Typus: Anthr. latirostris Auct. 1

Subgenus D. Tropideres nob.
Typus: Anthr. albirostris Auct. 9

Subgenus E. Euparius nob.
Typus: Anthr. (Eupar.) Tigris nob. 7

Subgenus F. Phloeobius nob.
Typus: Anthr. griseus Fabr. . 2

Subgenus G. Phaenithon nob.
Typus: Anthr. costatus Dej. . 3

Subgenus H. Gymnognathus nob.
Typus: Anthr. (Gymnogn.) signatus nob. 2

Subgenus I. Brachytarsus nob.
Typus: Anthr. varius Auct. . . 3

Cohors 3ª. Clava antennarum abrupto - incrassata, articulis valde remotis.

Subgenus K. Stenocerus nob.
Typus: Anthr. fulvitarsis Germ. 2

Subgenus L. Corrhecerus nob.
Typus: Anthr. mixtus Germ. . 1

Subgenus M. Araecerus nob.
Typus: Anthr. Coffeae Fabr. . 2

Genus 5. Eucorynus nob.
Typus: Anthr. crassicornis Fabr. . 1

	Species nobis cognit.
(*Divisio* 3a. Attelabides. Rostrum subcylindricum, deflexum, saepe filiforme, vel saepius apice dilatatum. Caput pone oculos elongatum. Antennae clavatae, 11, 12 articulatae. Elytra elongato-subquadrata. Pygidium nudum.)	
Genus 6. Apoderes Oliv.	
Typus: Attel. Coryli Fabr.	11
Genus 7. Attelabus Auct.	
Typus: Attel. Curculionoïdes Fabr.	20
Genus 8. Rhynchites Herbst. Gyllenh.	
Typus: Rhynch. Populi Auct. . . .	23
(*Divisio* 4a. Rhinomacerides: Rostrum elongatum, apice saepius dilatatum, rarius subcylindricum. Caput breve, transversum. Antennae clavatae, 11-articulatae. Elytra oblonga, sublinearia. Pygidium subtectum.)	
Genus 9. Rhinomacer Fabr. Oliv.	
Typus: Rhinom. attelaboïdes Fabr. .	2
Genus 10. Auletes nob.	
Typus: Tubicenus rhynchitoïdes Dej.	1
(*Divisio* 5a. Apionides: Rostrum subporrectum, cylindricum l. filiforme, in paucis basi crassum, apice subulatum. Antennae clavatae, 11-articulatae, versus medium l. ad basin insertae. Caput pone oculos elongatum. Elytra anum tegentia.)	
Genus 11. Apion Herbst, Germ., Gyll., Kirby.	108
(*Divisio* 6a. Rhamphides: Rostrum elongatum, inflexum. Antennae clavatae, 11-articulatae, in sincipite insertae. Pedes postici saltatorii.)	
Genus 12. Rhamphus Clairv.	
Typus: Rhamph. flavicornis Auct. .	2
(*Divisio* 7a. Thamnophilides: Rostrum elongatum, cylindricum, deflexum. Antennae arcuatae, clavatae, 12-articulatae, versus medium rostri in canalicula insertae. Caput pone oculos non elongatum. Pygidium nudum.)	

	Sp. nob. cognit.
Genus 13. Laemosaccus nob.	
Typus: Rhynchaen. plagiatus Fabr.	1
Genus 14. Thamnophilus nob. — (Magdalis Germ.)	
Typus: Rhynchaen. violaceus Auct. .	14
Subgenus Panus nob.	
Typus: Rhynchaen. Rhina var. β. Gyll. Ins. Sv.	1
(*Divisio* 8a. Ithycerides: Rostrum breve, aut teres aut subangulatum. Antennae breves, clavatae, 12-articulatae.)	
Genus 15. Chlorophanus Dalm. Germ.	
Typus: Curc. viridis Auct.	6
Genus 16. Ithycerus Dalm.	
Typus: Rhynchites curculionoïdes Herbst.	1
Genus 17. Mecaspis nob.	
Typus: Lixus palmatus Oliv. . . .	1
Genus 18. Pachycerus Gyllenh.	
Typus: Lixus madidus Oliv.	1
Genus 19. Rhinocyllus Germ.	
Typus: Curc. thaumaturgus Ross. . .	4
Genus 20. Lachnaeus nob.	
Typus: Lachn. crinitus nob.	1
Genus 21. Nerthops nob.	
Typus: Rhynchit. multiguttat. Wiedem.	1
Genus 22. Oxyops Dalm.	
Typus: Oxyops clathratus Dalm. in Litt.	1
Genus 23. Tanaos nob.	
Typus: Apion sanguineum Thunb. n. Act. Ups.	1
Genus 24. Stenocorynus nob.	
Typus: Curc. crenulatus Fabr. . . .	1
(*Divisio* 9a. Cryptopsides: Rostrum breve, crassum, subinflexum. Antennae breves, tenues, arcuatae, clavatae, 12-articulatae. Thorax subtus pro receptione rostri profunde canaliculatus. Scutellum nullum. Tarsi angustati, setosi.)	

Sp. nob. cognit.

Genus 25. Cryptops nob.

Typus: Brachycerus quadratus Wiedem. 6

(*Divisio* 10a. Antliarhinides: Rostrum porrectum. Antennae clavatae, 11-articulatae; clava angusta, tri-articulata. Scutellum distinctum. Corpus deplanatum.)

Genus 26. Antliarhinus Billb.

Typus: Curc. Zamiae Thunb., Herbst. . 1

(*Divisio* 11a. Brenthides: Rostrum porrectum. Antennae non clavatae, 11-articulatae. Collum distinctum. Scutellum haud observandum. Abdomen segmento 1 et 2 longissimis, arcte junctis, aegre discernendis, 3 et 4 brevissimis, transversis instructum, ultimo breviusculo, semicirculari. Corpus durum, subcylindricum, elongatum.)

Genus 27. Brenthus Auctor.

Typus: Br. canaliculatus Fabr. . . . 12

Subgenus A. Hormocerus nob.

Typus: Brenth. reticulatus Fabr. 4

Subgenus B. Arrhenodes Steven.

Typus: Br. septentrionis Herbst. 7

Subgenus C. Nemorhinus Steven.

Typus: Br. myrmecophaga Herbst. 8

Genus 28. Taphroderes nob.

Typus: Taphr. brevipes nob. . . . 2

(*Divisio* 12a. Belides: Rostrum subporrectum. Antennae non clavatae, 11-articulatae. Collum indistinctum. Scutellum manifestum. Abdomen segmentis quinque subaequalibus instructum. Corpus minus durum, angustum, naviculare.)

Genus 29. Belus nob.

Typus: Lixus semipunctatus Fabr. . 1

Sectio 2la. Antennae articulis 9, 10.

(*Divisio* 13a. Cylades: Rostrum porrectum. Antennae clavatae, 10-articulatae; clava longissima, linearis, uni-articulata.)

	Sp. nob. cognit.
Genus 30. Cylas Latr., Oliv., Germ. Typus: Cyl. formicarius Oliv. . . .	1
(*Divisio* 14a. Ulocerides: Rostrum porrectum, subulatum. Antennae breves, crassae, 9-articulatae. Clava parva, subsolida. Corpus subcylindricum, angustum.)	
Genus 31. Ulocerus nob. Typus: Uloc. lacerosus nob.	3
(*Divisio* 15a. Oxyrhynchides: Rostrum elongatum, deflexum, filiforme. Antennae breves, porrectae, validae, articulis 7 ante clavam; clava subsolida, apice spongiosa, forte articulos indistinctos includens. Tarsi latiusculi, spongiosi. Corpus oblongum, durum.)	
Genus 32. Oxyrhynchus nob. Typus: Calandra discors Fabr. . . .	1
(*Divisio* 16a. Brachycerides: Rostrum breve, crassum, plerumque deflexum, in paucis porrectum. Antennae breves, validae, articulis 7 l. 8 ante clavam; clava parva, subsolida, apice spongiosa, forte articulos indistinctos includens. Tarsi angustati, setosi, haud spongiosi. Corpus breviter ovatum, durum, apterum.)	
Genus 33. Episus Billb. Typus: Brachycer. rostratus Fabr. .	2
Genus 34. Brachycerus Fabr. Typus: Brachyc. obesus Fabr. . . .	40

Ordo 2s. GONATOCERI.

Antennae geniculatae; scapus (articulus basilaris) valde elongatus, saepius in canalicula ad latera rostri insertus. Antennae in omnibus clavatae, articulis clavae saepissime arcte connexis.

Legio 1ma. Brachyrhynchi (Curculiones Fabr.) Rostrum plus minusve crassum et deforme, breviusculum, parum arcuatum. Antennae prope apicem rostri saepe juxta sinum oris insertae, 12-articulatae.

	Species nobis cognit.
Phalanx 1ma. Canalicula antennalis (scrobs) infra-ocularis, curvata vel obliqua.	
(*Divisio* 1ma. Entimides: Rostrum breviusculum, deflexum, teretiusculum, crassissimum, extrorsum valde incrassatum.)	
Subdivisio 1ma. Corpus brevius, alatum. Humeri angulati, prominuli. Thorax semper pone oculos lobatus.	
Genus 35. Rhigus Dalm.	
Typus: Curc. tribuloïdes Pall., Herbst.	9
Genus 36. Polydius nob.	
Typus: Polyd. Stevenii nob.	1
Genus 37. Entimus Germ.	
Typus: Curc. imperialis Auct. . . .	4
Subdivisio 2da. Corpus oblongum, apterum. Humeri subrotundati.	
Genus 38. Hipporhinus Billb.	
Typus: Curc. pilularius Fabr. Oliv.	24
Genus 39. Epirrhynchus nob.	
Typus: Curc. Argus Sparrm.	1
Genus 40. Prypnus nob.	
Typus: Prypn. 5-nodosus nob. . . .	2
(*Divisio* 2da. Pachyrhynchides: Rostrum brevissimum, crassum, deflexum, saepius angulatum, apice vix incrassatum. Humeri non angulati. Corpus apterum.	
Cohors 1ma. Thorax pone oculos lobis productis.	
Genus 41. Cherrus Dalm.	
Typus: Curc. infaustus Oliv.	3
Genus 42. Deracanthus nob.	
Typus: Curc. spinifex Fabr.	1
Cohors 2da. Thorax pone oculos non lobatus.	
Genus 43. Pachyrhynchus Germ. (Somatodes nob. olim.)	
Typus: Pachyr. moniliferus Germ. .	1
Genus 44. Psalidium Illig.	
Typus: Curc. maxillosus Fabr. . . .	1

Sp. nob. cognit.

Genus 45. **Syzygops** nob.
Typus: Syzyg. Cyclops nob. 1

(*Divisio* 3a. **Brachyderides**: Rostrum subhorizontale, latitudine fere capitis eique contiguum, supra saepius planiusculum, raro teretiusculum, in plerisque breve vel brevissimum, in aliis vero magis elongatum.)

Subdivisio 1ma. Corpus saepius brevius, in paucis ovatum vel oblongo-ovatum, apterum; humeri rotundati l. obtusi, non prominuli.

*) Genus 46. **Thylacites** Germ. (**Cycloderes** nob. olim.)
Typus: Curc. Robiniae Herbst. . 10

Subgenus A. **Cneorhinus** nob.
Typus: Curc. Barcellonicus Herbst. 12

Subgenus B. **Strophosomus** nob.
Typus: Curc. Coryli Auct. . . 13

Subgenus C. **Sciaphilus** nob.
Typus: Curc. muricatus Fabr., Gyll. 5

Subgenus D. **Brachysomus** nob.
Typus: Curc. hirsutulus Fabr., Gyll. 2

Subgenus E. **Blosyrus** nob.
Typus: Curc. Oniscus Oliv. . . 2

Subgenus F. **Platycopes** Dalm.
Typus: Curc. argyrellus Sparrm. 1

) Genus 47. **Herpisticus Germ.
Typus: Herpist. laevicollis Germ. . 1

Genus 48. **Brachyderes** nob.
Typus: Curc. incanus Auct. 7

Subgenus **Eusomus** Germ.
Typus: Eusom. ovulum Illig., Germ. 3

Subdivisio 2da. Corpus elongatum vel oblongum, plerumque alatum; humeri plus minusve angulati l. prominuli.

	Sp. nob. cognit.
Genus 49. Leptocerus nob., Germ. (Iphius nob. olim.)	
Typus: Curc. longimanus Fabr. . .	25
Subgenus Plectrophorus nob.	
Typus: Leptoc. (Plectroph.) Lutra nob.	1
***) Genus 50. Cyphus nob., Germ. (Cyrtomon nob. olim.)	
Typus: Curc. gibber Fabr.	12
Subgenus A. Platyomus nob.	
Typus: Cyphus cultricollis Germ.	6
Subgenus B. Compsus nob.	
Typus: Cyphus acrolithus Germ.	4
Subgenus C. Oxyderces nob.	
Typus: Curc. cretaceus Fabr.	1
Genus 51. Hadropus nob.	
Typus: Hadrop. nubiculosus nob.	1
Genus 52. Phaedropus nob.	
Typus: Curc. candidus Fabr. . . .	1
****) Genus 53. Eustales Germ. (Phaops nob. olim.)	
Typus: Eustal. adamantinus Germ.	4
Genus 54. Exophthalmus nob.	
Typus: Curc. 4-vittatus Oliv. . . .	3
Genus 55. Diaprepes nob.	
Typus: Curc. Spengleri Fabr. . . .	8
Subgenus Prepodes nob.	
Typus: Curc. vittatus Fabr. . .	3
Genus 56. Ptilopus nob.	
Typus: Curc. aurifer Fabr. Oliv. . .	6
Genus 57. Cratopus Dalm.	
Typus: Lixus melanocephalus Fabr.	11
Genus 58. Pachnaeus nob. (Docorhinus nob. olim.)	
Typus: Curc. Opalus Bosc.	2
Genus 59. Callizonus nob. (Tropirhinus nob. olim.)	
Typus: Curc. 19-punctatus Fabr. .	2

	Sp. nob. cognit.
*****) Genus 60. Hypomeces nob.	
Typus: Curc. squamosus Fabr. . .	5
Subgenus Dereodus nob.	
Typus: Hypom. (Dereod.) denticollis nob.	1
Genus 61. Anaemerus nob.	
Typus: Curc. tomentosus Fabr. . .	2
Genus 62. Tanymecus Germ.	
Typus: Curc. palliatus Fabr., Gyll. .	2
Subgenus Asemus nob.	
Typus: Curc. rusticus Fabr. . .	9
Genus 63. Astycus nob.	
Typus: Curc. adultus Oliv.	1
Genus 64. Lissorhinus nob.	
Typus: Lissorh. Eryx. nob.	1
Genus 65. Protenomus nob.	
Typus: Curc. Saisanensis Gebl. . . .	1
******) Genus 66. Artipus nob., Sahlb.	
Typus: Artip. corycaeus Sahlb. .	1
Genus 67. Sitona Germ.	
Typus: Curc. lineatus Auct.	15
Genus 68. Promecops nob.	
Typus: Promec. nubifer nob.	2
Genus 69. Hadromerus nob.	
Typus: Curc. sagittarius Oliv. . . .	2
Genus 70. Polydrusus Germ. (Phyllerastes nob. olim.)	
Typus: Curc. undatus Fabr., Gyllenh.	18
Subgenus Scythropus nob. (Pachyrhinus nob. olim.)	
Typus: Curc. Mustella Herbst. . .	3
Genus 71. Metallites nob. Germ.	
Typus: Metall. mollis Germ.	6
Genus 72. Entyus nob. (Rembus Germ.)	
Typus: Rembus auricinctus Germ. .	2
*******) Genus 73. Prostomus Dalm.	
Typus: Curc. scutellaris et exsertus Fabr.	1

	Species nobis cognit.
********) Genus 74. Leptosomus nob.	
Typus: Curc. acuminatus Fabr., Oliv.	1
(*Divisio* 4a. Cleonides: Rostrum longiusculum, crassum, aut nutans, aut deflexum, plerumque teretiusculum, raro subangulatum, extrorsum saepius subincrassatum.)	
Subdivisio 1ma. Corpus saepissime alatum.	
*) Genus 75. Cleonus nob. (Cleonis Dej., Meg., Fisch)	
Typus: Curc. sulcirostris Auct.	37
Subgenus Bothynoderes nob.	
Typus: Curc. albidus Auct.	15
Genus 76. Chrysolopus Germ.	
Typus: Curc. spectabilis Fabr.	1
Genus 77. Rhytideres nob.	
Typus: Curc. plicatus Oliv.	1
**) Genus 78. Hypsonotus Germ.	
Typus: Hypson. clavulus Germ.	16
Subgenus A. Eurylobus nob.	
Typus: Hypson. cingulatus Germ.	2
Subgenus B. Lordops nob.	
Typus: Hypson. principalis Germ.	6
Subgenus C. Lasiopus nob.	
Typus: Lasiop. cilipes Sahlb.	1
Genus 79. Lepropus nob.	
Typus: Curc. lateralis Fabr.	1
***) Genus 80. Aterpus nob.	
Typus: Curc. cultratus et bi-cristatus Fabr.	1
Genus 81. Gronops nob.	
Typus: Curc. lunatus Fabr.	1
Genus 82. Listroderes nob.	
Typus: Listrod. costirostris Gyll. in litt.	1
Subdivisio 2a. Corpus semper apterum.	
****) Genus 83. Liophloeus Germ.	
Typus: Curc. nubilus Fabr.	2

	Sp. nob. cognit.
Genus 84. **Geophilus** nob.	
Typus: Curc. 8-tuberculatus Fabr. .	4
*****) Genus 85. **Rhytirrhinus** nob.	
Typus: Curc. inaequaalis Fabr. . .	3
Genus 86. **Minyops** nob.	
Typus: Liparus carinatus. Oliv. vel Curc. variolosus Fabr.	1
******) Genus 87. **Barynotus** Germ.	
Typus: Curc. obscurus Fabr. . . .	7
Genus 88. **Alophus** nob.	
Typus: Curc. 3-guttatus Fabr. . . .	2
(*Divisio* 5a. **Molytides**: Rostrum longius, deflexum, subcylindricum, paullo arcuatum, plerumque minus crassum.)	
Subdivisio 1ma. Tibiae omnes apice unco valido intus armatae.	
Cohors 1ma. Corpus alatum.	
*) Genus 89. **Lepyrus** Germ.	
Typus: Rhynchaen. Colon. Fabr. . .	2
Genus 90. **Tanysphyrus** Germ.	
Typus: Rhynch. Lemnae Fabr. . . .	1
) Genus 91. **Hylobius Germ. olim.	
Typus: Rhynch. Pineti Auct. . . .	10
Cohors 2da. Corpus apterum. Elytra antice semper junctim introrsum emarginata.	
Genus 92. **Molytes** nob. (**Liparus** Oliv. Germ.)	
Typus: Curcul. germanus Linn. . . .	6
Genus 93. **Plinthus** Germ.	
Typus: Curc. Megerlei Fabr.	7
Subdivisio 2da. Tibiae omnes apice muticae. Corpus saepissime alatum.	
***) Genus 94. **Phytonomus** nob. (**Hypera** Germ.)	
Typus: Rhynch. Polygoni Auct. . .	37
Genus 95. **Coniatus** Germ. olim.	
Typus: Curc. Tamarisci Fabr. . . .	3

	Species nobis cognit.
Phalanx 2da. Canalicula antennalis seu scrobs subrecta, versus medium oculi adscendens.	
(*Divisio* 6a. **Phyllobides:** Rostrum breve, subhorizontale, crassiusculum, saepius teretiusculum, nonnunquam aliquantulum incrassatum, interdum quoque supra planum. Corpus elongatum, alatum; humeri obtuse angulati.)	
Subdivisio 1a. Thorax pone oculos non lobatus.	
*) Genus 96. **Myllocerus** nob.	
Typus: Curc. curvicornis Fabr. . .	6
Genus 97. **Macrocorynus** nob.	
Typus: Curc. discoïdeus Oliv. . . .	1
) Genus 98. **Phyllobius nob. Germ.	
Typus: Curc. Pyri Auct.	30
Subdivisio 2da. Thorax pone oculos lobis productis.	
***) Genus 99. **Cyphicerus** nob.	
Typus: Curc. orbitalis Wiedem. . .	2
Genus 100. **Amblyrhinus** nob.	
Typus: Amblyrh. poricollis nob. .	1
(*Divisio* 7a. **Cyclomides:** Rostrum breve, plus minusue crassum, subhorizontale l. subdeflexum, lineare, saepius teretiusculum, nonnunquam apicem versus subangustatum. Corpus brevius, l. subovatum, plerumque apterum; humeri rotundati l. obtusi.)	
*) Genus 101. **Episomus** nob.	
Typus: Curc. Lacerta Oliv. l. C. avarus Fabr.	4
) Genus 102. **Pholicodes nob.	
Typus: Pholic. plebejus nob. . .	2
Genus 103. **Ptochus** nob.	
Typus: Ptoch. porcellus nob. . . .	3
Genus 104. **Stomodes** nob.	
Typus: Stom. tolutarius nob. . . .	1
Genus 105. **Trachyphloeus** Germ.	
Typus: Curc. scabriculus Auct. . .	6
Genus 106. **Omias** Germ. olim.	
Typus: Curc. rotundatus Fabr. . . .	10

	Sp. nob. cognit.
Genus 107. **Peritelus** Germ.	
Typus: Perit. sphaeroïdes Germ.	3
Subgenus A. **Holcorhinus** nob.	
Typus: Perit. (Holcorh.) hispidus nob.	2
Subgenus B. **Pyctoderes** nob.	
Typus: Curc. Gallina Sparrm. Act. Holm.	1
Subgenus C. **Oosomus** nob.	
Typus: Perit. (Oosomus) Hariolus nob.	2
Subgenus D. **Phlyctinus** nob.	
Typus: Phlyct. callosus nob.	1
Genus 108. **Cosmorhinus** nob.	
Typus: Cosmorh. cristirostris nob.	1
Genus 109. **Sciobius** nob.	
Typus: Curc. Tottus, a. Sparrm. Act. Holm.	2
***) Genus 110. **Cyclomus** nob.	
Typus: Curc. inquinatus nob.	3
Subgenus **Epichthonius** nob.	
Typus: Curc. Simus Wiedem. in litt.	1
Genus 111. **Eremnus** nob.	
Typus: Eremn. exaratus nob.	5
****) Genus 112. **Amycterus** Dalm.	
Typus: Curc. mirabilis Kirby.	1

(*Divisio* 8a. **Otiorhynchides**: Rostrum breviusculum, crassiusculum, subhorizontale, apice dilatatum et incrassatum, supra subplanum, pterygiis apicalibus divaricatis; scapus antennarum semper pone oculos sese extendens.)

Subdivisio 1a. Thorax pone oculos non lobatus. Corpus apterum.

*) Genus 113. **Otiorhynchus** Germ. (**Loborhynchus** nob. olim.	
Typus: Curc. clavipes Oliv. l. tenebricosus Gyll.	102
Genus 114. **Tyloderes** nob.	
Typus: Curc. chrysops Herbst.	1

	Sp. nob. cognit.
Genus 115. Hyphantus Germ.	
Typus: Hyph. baccifer Germ. . . .	1
**) Genus 116. Élytrodon nob.	
Typus: Curc. bidentatus Stev. in litt.	2
Subdivisio 2da. Thorax pone oculos lobatus. Corpus alatum.	
Genus 117. Phytoscaphus nob.	
Typus: Phyt. lixabundus nob. . . .	1
Subgenus Chloëbius nob.	
Typus: Phyt. (Chloëb.) immeritus nob.	1
(*Divisio* 9a. Tanyrhynchides: Rostrum perpendiculare, elongatum, sublineare. Scapus antennarum semper supra oculos extensus.	
*) Genus 118. Tanyrhynchus nob.	
Typus: Tanyrh. terrenus nob. . .	1
**) Genus 119. Myorhinus nob.	
Typus: Myorh. Stevenii nob. . .	1
Legio 2a. Mecorhynchi. (Rhynchaenides Fabr.) Rostrum cylindricum l. filiforme, plus minusve elongatum, raro thorace brevius. Antennae ante l. prope medium rostri, nec juxta sinum oris insertae.	
Sectio 1ma. Antennae articulis 11, 12, clava 4-articulata.	
(*Divisio* 1ma. Erirhinides: Pedes antici basi approximati.)	
Subdivisio 1ma. Scutellum plus minusve distinctum. Alati.	
*) Genus 120. Lixus Auct.	
Typus: Lix. paraplecticus Auct. .	43
Genus 121. Pacholenus nob.	
Typus: Pachol. pelliceus nob. . .	2
Genus 122. Brachypus nob.	
Typus: Brach. Lixoïdes nob. . . .	1
Genus 123. Larinus Germ.	
Typus: Rhynch. Cynarae Fabr. . . .	21

	Sp. nob. cognit.
Subgenus Ileomus nob.	
Typus: Lix. pulverulentus Oliv.	3
**) Genus 124. Heilipus Germ.	
Typus: Heil. lactarius Germ. . .	42
Genus 125. Orthorhinus nob.	
Typus: Rhynch. cylindrirostris Fabr.	1
Genus 126. Paramecops nob.	
Typus: Curc. farinosus Wiedem. .	1
Genus 127. Pissodes Germ.	
Typus: Rhynch. Pini Auct.	6
Genus 128. Penestes nob.	
Typus: Rhynch. Tigris Fabr. . . .	1
Genus 129. Euderes nob.	
Typus: Rhynch. lineicollis Wiedem.	1
Genus 130. Erirhinus nob.	
Typus: Rhynch. aethiops Auct. . .	23
Subgenus Grypidius nob.	
Typus: Rhynch. Equiseti Auct. .	4
Genus 131. Hydronomus nob.	
Typus: Rhynch. Alismatis Gyll. . .	1
Genus 132. Brachonyx nob.	
Typus: Rhynch. indigena Gyll. . .	1
Genus 133. Bradybatus Germ.	
Typus: Bradyb. Creutzeri Germ. .	1
Genus 134. Derelomus nob.	
Typus: Rhynch. Chamaeropis Fabr.	2
Genus 135. Anthonomus Germ.	
Typus: Rhynch. druparum Auct. .	18
***) Genus 136. Erodiscus nob.	
Typus: Lixus attenuatus Fabr. . .	2
****) Genus 137. Balaninus Germ.	
Typus: Rhynch. nucum. Auct. . .	8
Genus 138. Amalus nob.	
Typus: Rhynch. Scortillum Gyll. .	1
Genus 139. Coryssomerus nob.	
Typus: Rhynch. Capucinus Beck. .	1
Genus 140. Hydaticus nob.	
Typus: Rhynch. velatus Beck. . . .	9

	Sp. nob. cognit.
Genus 141. Anoplus Schüpp.	
Typus: Rhynch. plantaris Gyll. . .	1
Genus 142. Tychius Germ.	
Typus: Rhynch. 5-punctatus Auct.	10
Subgenus Miccotrogus nob.	
Typus: Curc. cuprifer Panz. . . .	2
Genus 143. Sibynes nob. (Sibinia Germ.)	
Typus: Rhynch. Viscariae Auct. .	8
Genus 144. Acallopistus nob.	
Typus: Acallop. vellicosus Gyll. n. sp.	1
Genus 145. Endaeus nob.	
Typus: End. castus nob.	1
*****) Genus 146. Sternechus nob.	
Typus: Orobitis trachyptomus Germ.	1
Genus 147. Tylomus nob.	
Typus: Orobit. gonopterus Germ. .	1
******) Genus 148. Orchestes Illig. (Salius Germ.)	
Typus: Orchest. viminalis Auct.	14
Subgenus Tachyerges nob.	
Typus: Rhynch. Salicis Fabr. Gyll.	4
Subdivisio 2da. Exscutellati. Apteri.	
*) Genus. 149. Solenorhinus nob.	
Typus: Curc. porifer. Sparrm. Act. Holm.	1
Genus 150. Anchonus nob.	
Typus: Rhynch. suillus Fabr. . . .	2
**) Genus 151. Styphlus nob.	
Typus: Styphl. penicillus nob. .	1
Genus 152. Trachodes Schüpp., Germ.	
Typus: Curc. hispidus Linn. l. Rhynch. squamifer Gyll.	5

(*Divisio* 2a. Cholides: Pedes antici basi distantes, inter quos pectus planum, plus minusve immittitur.)

	Species nobis cognit.
*) Genus 153. Rhinastus nob. Typus: Rhin. pertusus Dalm. — congen. Cholus sternicornis Germ.	2
Genus 154. Cholus Germ. Typus: Chol. albicinctus Germ. . .	5
Subgenus Callinotus nob. Typus: Cholus (Callin.) praefectus nob.	2
Genus 155. Dionychus Germ. Typus: Dion. parallelogrammus Germ.	5
Subgenus Homalinotus nob., Sahlb. Typus: Dion. (Homal.) circumdatus Germ.	4
Genus 156. Amerhinus nob., Sahlb. Typus: Rhynch. Dufresnii Kirby. l. Rh. Pardalis Dalm.	7
Genus 157. Solenopus nob. Typus: Odontoderes Cacicus Sahlb. l. Dionych. granicollis Germ. .	1
Genus 158. Nettarhinus nob. Typus: Nettarh. anthribiformis .	1
**) Genus 159. Alcides Dahlm., Sahlb. Typus: Lixus trilobus Fabr. . .	11
***) Genus 160. Platyonyx nob. Typus: Baris ornatus Dej. . . .	1
Genus 161. Madarus nob. Typus: Calandra corvina Fabr. . .	2
Genus 162. Baridius nob. (Baris Germ.) Typus: Calandra nitens Fabr. . . .	19
Subgenus A. Cyphirhinus nob. Typus: Barid. (Cyphirhin.) unciuatus Gyll.	1
Subgenus B. Solenosternus nob. Typus: Baridius (Solenost.) puncticollis nob.	2

(*Divisio* 3a. **Cryptorhynchides**: Rostrum inflexum, in canaliculam pectoralem, plus minusve distincte profundam, applicandum. Pedes antici basi saepissime distantes.	Species nobis cognit.
*) Genus 163. Cratosomus nob.	
Typus: Rhynch. herculeanus Dalm.	5
Subgenus Gorgus nob.	
Typus: Lixus dubius Fabr. . . .	8
Genus 164. Cryptorhynchus Illig., Germ.	
Typus: Cryptorh. Lapathi Auct. . .	54
Subgenus A. Mecocorynus nob.	
Typus: Cryptorhynch. varipes. Wiedem.	1
Subgenus B. Camptorhinus nob.	
Typus: Rhynch. pilipes Fabr. .	4
Subgenus C. Coelosternus nob.	
Typus: Cryptorh. asperatus Dej. Cat.	8
Genus 165. Macromerus nob.	
Typus: Poecilma crinitarse Germ. .	4
Genus 166. Arthrostenus nob.	
Typus: Rhynchaen. Fullo Boeb. in litter.	3
**) Genus 167. Lyprus nob.	
Typus: Rhynch. cylindrus Gyllenh.	1
Genus 168. Bagous Germ.	
Typus: Rhynch. bi-nodulus Gyll. .	8
Genus 169. Scleropterus nob.	
Typus: Cryptorh. serratus Eschsch., Germ.	1
Genus 170. Tapeinotus nob.	
Typus: Tapein. ephippiger nob. .	1
Genus 171. Ulosomus nob.	
Typus: Ulosom. Erinaceus nob. . .	2
Genus 172. Tylodes nob., Sahlb.	
Typus: Tylodes Armadillo Sahlb.	3

	Sp. nob. cognit.
Subgenus Acalles nob. Typus: Rhynch. Camelus Fabr.	5
***) Genus 173. Ceutorhynchus Germ. Typus: Rhynch. Quercus Auct.	80
Genus 174. Mononychus Schüpp., Germ. Typus: Rhynch. Pseudacori Auct.	4
****) Genus 175. Zygops nob. Typus: Poecilma Wiedii Germ.	10
Subgenus A. Coptorus nob. Typus: Poecilma papaveratum Germ.	5
Subgenus B. Piazorus nob. Typus: Rhynch. pleuronectes Fabr.	5
Subgenus C. Coryssopus nob. Typus: Zygops (Coryssop.) hexastichus nob.	1
Genus 176. Mecopus nob. Typus: Rhynch. bi-spinosus Fabr.	1
Genus 177. Lechriops nob. Typus: Rhynch. Sciurus? Fabr.	1
Genus 178. Pinarus nob. Typus: Cryptorh. squalidus Dej.	1
*****) Genus 179. Centrinus nob. Typus: Baris bi-cuspis Germ.	21
Subgenus Cylindrocerus nob. Typus: Centrin. (Cylindr.) Comma nob.	1
Genus 180. Diorymerus nob. Typus: Orobit. altus Germ.	6
Genus 181. Eurhinus nob. — (Eurhin. Illig., Germ.) Typus: Eurhin. cupratus Illig.	3
******) Genus 182. Orobitis Germ.) Typus: Attelab. globosus Fabr. I. Rhynchaen. id. Gyll.	1

	Sp. nob. cognit.
Genus 183. Cleogonus nob.	
Typus: Rhynch. rubetra Fabr. . . .	1
Genus 184. Ocladius nob.	
Typus: Rhynch. Salicorniae Oliv. .	3
Sectio 2da. Antennae articulis 10 vel 9. (Funiculus semper 5-articulatus.)	
(*Divisio* 4a. Cionides: Antennae breviusculae, funiculus 5-articulatus; clava 3 l. 4-articulata.)	
Genus 185. Cionus Clairv. Germ.	
Typus: Cion. Scrophulariae Auct. .	13
Genus 186. Gymnaetron nob.	
Typus: Rhynch. Beccabungae Fabr.	20
Genus 187. Mecinus Germ.	
Typus: Mecinus Pyrastre Germ. . .	4
Genus 188. Nanodes nob.	
Typus: Rhynch. Lythri Auct. . . .	6
Sectio 3a. Antennae articulis 10, 9, 8, 7. (Funiculus variat numero articulorum: 6, 7 et 4.)	
(*Divisio* 5a. Calandraeides: Antennae mediocres; funiculus 6-articulatus; clava aut bi-articulata, aut indistincte articulata, subsolida. Rostrum aut deflexum aut porrectum.)	
Subdivisio 1ma. (Cryptopygi.) Pygidium elytra tegunt.	
Genus 189. Rhina Latr., Illig., Oliv.	
Typus: Rhina barbirostris Latr., Oliv.	1
Genus 190. Sipalus nob.	
Typus: Calandra granulata. Fabr. .	3
Subdivisio 2da. (Gymnopygi.) Pygidium nudum, seu ab elytris non tectum.	
Genus 191. Rhynchophorus Herbst. — (Calandra Auct.)	
Typus: Calandra Palmarum Auct. .	34
Subgenus Calandra Auct.	
Typus: Calandra granaria Auct.	6

	Species nobis cognit.
(*Divisio* 6ª. Cossonides: Antennae breves; funiculus 7 - articulatus; clava aut bi - articulata; aut subsolida. Rostrum subdeflexum. Pygidium ab elytris tectum.)	
Genus 192. Amorphocerus nob.	
Typus: Amorph. Talpa nob.	1
Genus 193. Cossonus nob.	
Typus: Cosson. Linearis Auct. . .	12
Subgenus Rhyncholus Creutz.	
Typus: Cossonus chloropus Gyll.	9
(*Divisio* 7ª. Dryophthorides: Antennae breves; funiculus 4 - articulatus. Rostrum subdeflexum. Pygidium ab elytris tectum.)	
Genus 194. Dryophthorus Schüpp.	
Typus: Lixus Lymexylon Fabr. — Cossonus id. Gyll.	1

DESCRIPTIONES GENERUM

AD

FAMILIAM

CURCULIONIDUM

PERTINENTIUM.

CURCULIONIDES. *)

TARSI QUADRI - ARTICULATI. — CAPUT PLUS MINUSVE ROSTRATUM; OS APICALE; MANDIBULAE SAEPISSIME PARVAE, VALIDAE; PALPI CETERAEQUE PARTES MINUTAE, OCCULTATAE. — ANTENNAE ROSTRO INSERTAE, SAEPISSIME APICE CLAVATAE. — CORPUS IN PLERISQUE DURUM.

Ordo 1s. ORTHOCERI.

Antennae non fractae, h. e. ad articulum secundum haud geniculatae; scapus (articulus basilaris) non valde elongatus.

Sectio 1ma. Antennae articulis 11, 12.

(*Divisio* 1ma. **Bruchides**: Rostrum latum, deflexum. Antennae sensim crassiores, serratae aut pectinatae, in paucis clavatae, 11 - articulatae. Tarsi distincte 4-articulati, articulo penultimo bilobo.)

Genus 1. **Bruchus** Linn., Fabr., Gyllenh., Latr., Oliv. et multi alii. — Mylabris Geoffr., Gronov., Fourcr. — Laria Scop.

Character generis: — Antennae validae, extrorsum sensim crassiores, saepius serratae, in non nullis pectinatae, longitudine dimidii corporis l. ultra, in sinu oculorum insertae.

---

*) Romani per vocem Curculionis l. Gurculionis a Graeco *κίων*, (larva Calandrae granariae Auctor.) vermiculum quendam, in granis consumendis vitam degentem intellexerunt; quae vero vox, quamvis ab Immort. *Linné* generi sit addita, hic mihi, ad totam hanc familiam denominandam, optima visa.

Caput exsertum, deflexum, postice in collum angustatum.

Oculi lunati l. emarginati, prominuli.

Elytra oblongo-quadrata, abdomine breviora, supra parum convexa.

Femora postica plerumque incrassata, saepe dentata.

Descriptio: — *Corpus* breviter l. oblongo-ovatum, crassum, antice declive, alatum. — *Antennae* arcuatae, validae, pari vel dimidia corporis longitudine, extrorsum sensim crassiores, compressae, saepius serratae, in nonnullis pectinatae, 11-articulatae, in sinu oculorum insertae; articulo 1mo crassiore, 2do, 3o interdum etiam 4o minoribus, reliquis iterum majoribus. — *Caput* exsertum, productum, anterius angustatum, vix vero rostratum, thorace angustius, deflexum, postice angustatum, collum formans. — *Oculi* lunati l. emarginati, prominuli. — *Thorax* aut brevior semicirculari-trapeziformis, aut subconicus, antice angustatus, postice latior, bi-sinuatus l. lobatus; supra modice convexus. — *Scutellum* oblongo-quadratum. — *Elytra* oblongo-quadrata, thorace latiora et mox juxta basin multo magis dilatata, apice obtuse rotundata, abdomine breviora, supra parum convexa. — *Pygidium* nudum, rotundatum l. subtruncatum. — *Pedes* validi, antici approximati; femora postica saepius dentata et anterioribus multo robustiora; tibiae teretes, posticae saepissime spinis apicalibus, in nonnullis longis, in aliis obsoletis armatae; tarsi tibiis paullo breviores, anteriores articulis duobus basalibus subtrigonis, penultimo plus minusve latiore, cordato, bilobo, subtus spongioso, ultimo clavato, biunguiculato; tarsis posticis magis elongatis, articulo 1mo longo, aut subcylindrico, aut clavato, subarcuato.

Stirps 1ma. Thorax antice coarctatus, capite subangustior, postice sinuatus, lobo scutellari. Elytra subplana. Pygidium magnum, subcordatum, descendens.

Manipulus 1s. — Femora dentata.

Typus: Bruch. difformis Oliv. — 4-maculatus et podagricus Fabr. — Theobromatis Linn. et plures aliae.

Manip. 2a. — Femora mutica.

Typus: — Bruch. marginellus, villosus et minutus Fabr. — biguttatus Oliv. — fulvipennis Dej. et Germ. — et multo plures.

Stirps 2a. — Thorax transversus, subtrapeziformis, angulis anticis rotundatis, postice truncatus, lobo scutellari. Pygidium magnum, rotundatum, descendens.

Manip. 1a. Femora dentata.

Typus: — Bruch. Pisi et granarius Auctorum, et multae aliae.

Manip. 2a. — Femora mutica.

Huc adnumerantur: Br. 4-guttatus nob. — Mimosae, Cisti? et Seminarius? Fabr. — pusillus et sericatus Germ.

Stirps 3a. — Thorax transversus, angulis anticis deflexis, postice sinuatus, lobo scutellari lato, rotundato. Scutellum triangulatum. Pygidium rotundatum, subconvexum, minus descendens. Femora mutica.

Huc pertinent: — Br. Cardui Steven. — latithorax — latus et ater Bohem. in Litter.

Stirps 4a. — Corpus magis elongatum atque convexum. Thorax antice angustior, postice sinuatus, angulis rotundatis. Elytra latitudine duplo longiora, pygidii basin obtegentia. Pygidium angustius, parum descendens, basi obtecta. (Genus sub nomine Caryedon. Stev. in litteris.)

Manip. 1a. Femora dentata.

Huc pertinent: Br. Gonagra Fabr. — serripes Hoffmans: — serratus Oliv.

Manip. 2a. Femora mutica.

Huc pertinent: Br. Robiniae Fabr. — Cistellinus Hoffmans:

Βροῦκος et *Βροῦχος* a *βρύκω* edo, voro.

Observ. — Ob vivendi modum corporisque formam hocce genus ad hanc familiam pertinere mihi videtur.

Genus 2. **Rhaebus.** Fisch.

Character generis: — Antennae longiusculae, validiusculae, subfiliformes, extrorsum paullo crassiores, infra sinum oculorum insertae.

Caput exsertum, deflexum.

Oculi emarginati.

Thorax subconicus, postice rotundatus, supra parum convexus.

Elytra flexibilia, elongata, sublinearia, apice singulatim rotundata.

Pedes longiusculi; femora postica compressa.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, molliusculum, colore metallicum, alatum, minoris magnitudinis. — *Caput* exsertum, thoracis latitudine, convexum, deflexum, anterius productum, angustatum, vix vero rostratum. *) *Antennae* rectae, subflexae, longitudine dimidii corporis, validiusculae, subfiliformes, basi subtenues, extrorsum paullo latiores, subcompressae. *Oculi* laterales, emarginati, modice prominuli, majusculi. — *Thorax* latitudine vix longior, basi lateribusque rotundatus, antice truncatus, antrorsum paullo angustior, subconicus, supra parum convexus. — *Scutellum* minutum, trigonum. — *Elytra* flexibilia, thorace paullo latiora, sed illo quadruplo longiora, sublinearia, versus apicem sensim nonnihil angustata, supra modice convexa, apice singulatim rotundata, pygidium haud tegentia. — *Pedes* longiusculi, praesertim postici; femoribus muticis, in medio incrassatis, posticis compressis, in altero sexu clavatis; tibiis subcompressis, basi subtenuibus, incurvis, deinde rectis, versus apicem sensim latioribus, posticis ad apicem spina minuta, deflexa, armatis; tarsi tibiis parum breviores, articulo basali subcylindrico, 2o subobconico, 3o brevi; paullo latiore, bifido, subtus spongioso, ultimo parum clavato, biunguiculato.

---

*) Labrum subquadratum. Mandibulae fortes, elongatae, apice bidentatae. Maxillae membranaceae, compressae, ciliatae. — Palpi breves, filiformes, ultimo articulo fusiformi. — Labium subconicum, parum emarginatum. *Fischer de Waldheim.*

Typus: — Rhaebus Gebleri Fisch. — nec plures species vidi.

A ῥαιβὸς cruribus incurvis.

Observatio: Quamvis in granis seminibusque vitam degit et metamorphosin subit hoc Insectum; tamen vix ad familiam Bruchidum pertinere videtur; forma enim capitis, rostri elytrorumque ut et color metallicus corpusque molliusculum nimis discrepant. Anne potius ad familiam Chrysomelinarum referendum?

Genus 3. Urodon nob. — Bruchus Fabr., Oliv. — Anthribus Fabr., Latr., Germ., Oken. — Bruchela Megerle, Dejean. — Clerus Geoffr.

Character generis: — Antennae subcrassae, breviusculae, infra oculos insertae, extrorsum sensim crassiores; articulis 3 ultimis magnis, subperfoliatis.

Rostrum breve, latum, apice subtruncatum.

Oculi laterales, integri, rotundati.

Elytra oblongo-subquadrata, abdomine breviora.

Mas: pygidio emarginato, lobis lateralibus productis.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, crassum, minoris magnitudinis, alatum. — *Antennae* rectae, subcrassae, thorace breviores, infra oculos insertae; articulis duobus basalibus crassiusculis, 3-5 subobconicis, 6-8 brevioribus transversis, 9 et 10 magnis, latis, compressis, subperfoliatis, truncatis, ultimo apice subrotundato. — *Rostrum* breve, latum, deflexum, apice subtruncatum. — *Oculi* laterales, magni, integri, rotundati, parum prominuli. — *Thorax* elongato-trapeziformis, antice rotundatus, angulis compressis, lateribus subrotundatus, postice latior, in medio lobatus. — *Scutellum* minutissimum. — *Elytra* thorace latiora et duplo longiora, ad latera recta apice singulatim rotundata, supra paullo convexa. — *Pygidium* nudum, trigonum, planum; in mare subincurvum, late quadrangulariter emarginatum, lobis lateralibus productis; pygidium feminae rotundatum, integrum. — *Pedes* breves, validi, mutici; femoribus crassis; tarsis articulis 4 distinctis, penultimo latiusculo, bilobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

Typus: — Anthr. sericeus Fabr. — Duae species mihi cognitae: Anthr. sericeus Fabr., rufipes Latr., Bruch. rufipes Fabr. Oliv. — et Bruch. suturalis Fabr., Oliv.

Ab οὐρά anus, ὀδούς dens.

Observ. — Genus hocce Anthribidibus valde propinquum, sed articulus tarsorum tertius praecedentibus aequalis, unde Bruchidibus associandum.

(*Divisio* 2a. Anthribides: Rostrum latum, deflexum. Antennae clavatae, 11 - articulatae. Elytra anum haud occultantia. Tarsi indistincte 4 - articulati, articulo secundo plerumque tertium subincludente.)

**Cohors* 1ma. — Clava antennarum angusta, subincrassata; articulo ultimo acuto.

Genus 4. Anthribus Fabr., Gyllenh., Germ., Latr. — Anthrodus Megerle. — Amblycerus Thunb. — Macrocephalus Oliv. — Platyrhinus Billb. — Curculio Linn., Degeer et plures alii.

Character generis: — Antennae infra sinum oculorum insertae, pro sexu forma diversae: maris corpore longiores, articulo ultimo elongato acuto; feminae breviores, extrorsum magis incrassatae; articulo ultimo brevissimo, acuto.

Rostrum breve, latum, deflexum, apice profunde emarginatum.

Oculi laterales, prominuli, anterius emarginati.

Thorax antice angustior, postice subtruncatus, basi lateribusque posticis elevato - marginatus.

Elytra oblonga, subcylindrica, pygidium haud occultantia.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, convexum, alatum. — *Antennae* rectae, longitudine thoracis I. ultra, ante sinum oculorum insertae; articulo 1mo et 2do brevibus, 3 - 8 longioribus, sub - obconicis, subaequalibus; ultimis tribus latiusculis, compressis, clavam elongato - ovatam, acuminatam formantibus; forma jam in Diagnosi indicata. — *Rostrum*

breve, latum, deflexum, apice profunde emarginatum. — *Oculi* laterales, prominuli, sub-ovati, anterius emarginati. — *Thorax* amplus, antice multo angustior, angulis compressis, supra convexus, basi subtruncatus, elevato-marginatus, lateribus nonnihil rotundatus, posterius marginatus. — *Scutellum* minutum; subrotundatum. — *Elytra* elongata, subcylindrica, convexa, latitudine thoracis, quo vix triplo longiora, antice truncata, apice rotundata, ad latera subrecta, anum fere tegentia. — *Pygidium* minutum, semirotundatum. — *Pedes* validi, omnino mutici; femoribus clavatis; tarsi elongati, tibiis paullo breviores, sub-angustati, articulo 1mo longiusculo, subconico, penultimo spongioso, distincto, bilobo, subdilatato, tertium vix includente, ultimo clavato, biungulato.

Typus: — Anthribus Albinus Auctor. — congenericus: Anthr. alternans Wiedem.

Ab ἄνθος flos, τρίβω tero, contero, contractum.

Subgenus A. Phloeotragus nob. — Anthribus Fabr.

Adumbratio: — *Antennae* in masculis saepe corpus totum longitudine superantes, in aliis capite cum thorace paullo longiores, infra oculos insertae; articulis 1-3 aut elongatis, subfiliformibus, aut obconicis, crassiusculis, subaequalibus, tribus ultimis arcte connexis, vix crassioribus, clavam elongatam, acuminatam formantibus. — *Rostrum* subporrectum, apice emarginatum, aut capite duplo longius, apice ampliatum, aut breve, latum. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* oblongus, antice posticeque, truncatus, supra depressus, ante basin striga elevata, transversa, subrecta, in medio interrupta, ad latera anteriora continuata. — *Scutellum* minutissimum, rotundatum. — *Elytra* elongata, sublinearia, supra convexa, dorsi disco subdepressa. — *Corpus* elongatum, sublineare, robustum.

Typus: — Anthr. Heros Fabr. — congenerici: Anthr. (Phloeotr.) Westermanni et lanugicornis nob.

A φλοιός cortex, τράγος hircus, caper.

Observ. — Rostrum subporrectum, striga elevata transversa ante basin thoracis, hoc subgenus facile ab Anthri-

bidibus genuinis distinguit. Clava antennarum angusta, impedit a conjunctione subgeneris **Ptychoderis**, cui praeterea est simillimum.

**Cohors* 2a. Clava antennarum abrupto - incrassata, subcompressa, articulis subapproximatis.

Subgenus B. Ptychoderes nob. — Macrocephalus Oliv.

Adumbratio: — *Antennae* longae, in masculis longissimae, in medio lateris rostri insertae; articulis 1 - 8 elongatis, subobconicis; clava elongata, articulis subremotis, 9 et 10 cordato - ovatis, ultimo subacuminato, subcompresso. — *Rostrum* subdeflexum, capitis longitudine, crassiusculum, versus apicem dilatatum, supra carinatum, apice profunde rotundato - emarginatum. — *Mandibulae* validae, arcuatae, corneae, intus obtuse bidentatae. — *Palpi* filiformes, subaequales, articulis setosis. — *Oculi* laterales rotundati, prominuli. — *Thorax* oblongus, lateribus paullo ampliatus, rotundatus, supra depressus, ante basin striga elevata, transversa, subrecta, in medio interrupta, cum margine laterali anterius reflexo - connexa. — *Scutellum* mediocre, transversum. — *Elytra* elongata, sublinearia, antice elevato - marginata, supra convexa, dorsi disco subdepressa. — *Corpus* elongatum, sublineare.

Typus: — Anthr. elongatus Germ. — ejusdem generis est: Anthr. (Ptychod.) viridans nob. e Brasil.

A πτύξ plica, δέρη collum.

Observ. Vide comparationem hujus cum subgenere praecedenti.

Subgenus C. Platyrhinus Clairv., Billb. — Macrocephalus Oliv. — Anthr. Fabr., Gyllenh., Germ., Latr. pluresque alii. — Curculio Linn. — Scop. De Geer.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, medio rostri subtus insertae, articulis 1, 2 brevibus crassis, 3, 4 longioribus, obconicis, 5 - 8 subrotundatis, ultimis tribus magnis, compressis, subremotis, clavam distinctam formantibus. —

Rostrum perpendiculare, latum, oblongo-quadratum, subtruncatum. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* subquadratus, antice paullo angustior, lateribus juxta medium in lobum sub-bidentatum dilatatus, intra basin linea elevato-carinata, subtransversa, in medio interrupta notatus. — *Scutellum* minutum, subrotundatum. — *Elytra* oblonga, linearia, supra dorso depressa, anum quoad partem tegentia.

Typus: — Anthrib. latirostris Auct. — nec plures species vidi.

A πλατὺς latus, ῥὶν nasus.

Subgenus D. Tropideres. Anthribus Fabr., Gyll., Germ., Thunb. — Amblycerus Thunb. — Macrocephal: Oliv. — Platyrhinus Billb.

Adumbratio: — *Antennae* tenues, longiusculae, in medio laterum rostri insertae; articulis 3 - 8 elongatis, obconicis; clava elongata, distincta, subcompressa. — *Rostrum* perpendiculare, latum, planum; apice plus minusve dilatatum, subtruncatum. — *Oculi* magni, integri, subdepressi, in fronte saepius subapproximati. — *Thorax* antice multo angustior, lateribus oblique subrectis, postice subbisinuatus, paullo ante basin striga elevata, transversa, integra notatus. — *Scutellum* punctiforme. — *Elytra* thoracis basi parum latiora, quo vix etiam triplo longiora, apice rotundata, ad latera recta, supra mediocriter convexa. — *Corpus* oblongum.

Stirps 1a. Rostrum elongatum, apice dilatatum. Oculi sub-approximati.

Typus: — Anthr. albirostris Fabr. — congenerici: Anthrib. dorsalis Gyllenh. — undulatus Panz. — aculeatus et longicornis Fabr.? —

Stirps 2a. Rostrum breve, apice parum dilatatum. Oculi interdum minus approximati.

Typus: — Anthr. niveirostris Fabr. — congenerici. A. sepicola Fabr. — cinctus Gyll.

A τρόπις carina, δέρη collum.

Observatio: — Antennarum articulorum, rostri et oculorum formae differentia hocce subgenus praecipue a Pla-

tyrhinis distinguitur, quodque etiam aliis subgeneribus minus est associatum. Nihilo tamen minus hoc subgenus, praesertim stirps 2da, mihi dubium occurrit.

Subgenus E. Euparius nob.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, subtenues, infra sinum oculorum insertae; articulo 1o et 2o paullo crassioribus, sequentibus sex paullo longioribus, subobconicis, exterioribus sensim brevioribus, tribus ultimis magnis, latis compressis, ultimo apice rotundato. — *Rostrum* breve, latum, deflexum, apice leviter emarginatum. — *Mandibulae* breves, validiusculae, arcuatae, corneae, intus concavae, apice bifidae dentibus validis, in medio dente obsoleto, obtuso, saepius armatis. — *Labrum* corneum, fornicatum, rotundatum. — *Palpi* filiformes, subaequales; articulis ultimis setosis. — *Oculi* laterales, subprominuli, haud emarginati. — *Thorax* antice angustior, ante basin lateribusque postice elevato-marginatus. — *Sternum* interdum acuminatum, porrectum. — *Elytra* oblonga, sublinearia, convexa, apice obtuse rotundata. — *Corpus* oblongo ovatum.

Typus: — Anthr. (Eupar.) Tigris nob. — congenerici: Anthr. albifrons Melsheim. et spec. 5 indescriptae.

Ab ευ bene, παρία bucca.

Observ. — Subgenus quoad habitum Phloeobio proximum, sed oculi haud emarginati, mandibularumque structurae magna differentia est.

Subgenus F. Phloeobius nob. — Anthribus Fabr., Oliv. —

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, subtenues, infra sinum oculorum insertae; articulo basali brevi, crasso, 2-8 paullo longioribus, subcylindricis, tribus ultimis magnis, latis, compressis, paullo remotis, clavam elongatam apice obtusam formantibus. — *Rostrum* breve, latum, deflexum, apice profunde emarginatum. — *Mandibulae* validae, arcuatae, acutae, corneae, intus basi obsolete unidentatae. — *Oculi* laterales, prominuli, profunde emarginati. — *Thorax* amplus, antice angustior, postice truncatus, ante basin lateribusque postice elevato-marginatus. — *Scutellum* minutum,

punctiforme. — *Elytra* elongata, subcylindrica, convexa, apice rotundata, anum fere tegentia. — *Pygidium* minutum, semirotundatum. — *Tarsi* subangustati, articulo tertio parvo, bilobo, a praecedente fere occultato. — *Corpus* oblongo-ovatum.

Typus: — Anthr. griseus Fabr. — congenerici: Anthr. compressicornis Fabr.

A φλοιὸς cortex, βίω vivo.

Observ. — Generi Anthribi genuini valde affine; differt imprimis forma antennarum, tarsorumque; praeterea major est subgeneris Euparii similitudo; mandibulae tamen omnino dissimillimae oculique profunde emarginati.

Subgenus G. Phaenithon nob.

Adumbratio: — *Antennae* breves, subtennes, infra oculos insertae; articulis subobconicis, exterioribus sensim brevioribus; clava lata, oblongo-ovata, compressa, apice oblique truncata, subacuminata, articulis sub-connexis. — *Rostrum* breve, latiusculum, deflexum, supra planum, apice rotundato-emarginatum. — *Oculi* magni, laterales, subrotundati, prominuli, leviter emarginati. — *Thorax* subconicus, postice sub-bisinuatus, paullo ante basin striga elevata, transversa, integra, ad medium marginem lateralem continuata. — *Scutellum* distinctum, triangulare. — *Elytra* oblonga, sublinearia, supra convexa, dorso saepe subdepressa, apice singulatim rotundata.

Stirps 1ma. Corpus elongatum. Pygidium magnum, oblongum, subporrectum.

Typus: — Anthr. costatus Dej. hujus subgeneris sex species indescriptae mihi notae.

Stirps 2a. Corpus breviter ovatum. Pygidium mediocre, semirotundatum, subdeflexum.

A φαίνω ostendo, ἴθων podex.

Observ. — Antennae breves, pygidium magnum et scutellum triangulare, perspicuam exhibent dissimilitudinem subgeneris Phloeobii, cui praeterea est simillimum.

Subgenus H. Gymnognathus nob.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres, subtennes, in medio lateris rostri insertae; articulo 1mo et 2do paullo crassioribus, 3 - 8 magis tenuibus, exterioribus sensim brevioribus, omnibus subobconicis; clava magna, oblongo-ovata, compressa, apice obtusa, subacuminata, articulis subconnexis. — *Rostrum* elongatum, deflexum, subrectum juxta basin paullo angustatum, apice late emarginatum, supra subplanum. — *Oculi* magni, laterales, subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* subconicus, basi bisinuatus, et ante basin et lateribus posticis elevato-marginatus. — *Scutellum* distinctum, rotundatum. — *Elytra* elongata, sublinearia, basi rotundato-dilatata, convexa, dorso subdepressa. — *Pygidium* subquadratum, apice bidentatum. — *Corpus* elongatum.

Typus: — Anthr. Ancora Germ. — congenericus: Anthr. (Gymnogn.) signatus nob.

A γυμνὸς nudus, γνάθος maxilla.

Observ. — Subgeneri Phaenithonis proximum, sed forma antennarum, rostri aliarumque partium valde diversa.

Subgenus I. Brachytarsus nob. — Paropes Meg. — Anthribus Auct. ceteror.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, validiusculae, infra oculos insertae; articulis duobus basalibus majusculis, 3 - 8 brevissime obconicis, ultimis tribus magnis, clavam compressam, obtusam formantibus. — *Rostrum* breve, latum deflexum, apice subtruncatum. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli, magni. — *Thorax* brevis, transversus, postice latior, bisinuatus, elevato-marginatus, angulis posticis acuminatus, supra valde convexus, lateribus rotundatus, angulis anticis compressus. — *Elytra* oblongo-quadrata, apice obtuse rotundata, supra valde convexa. — *Pedes* breves; tarsi breviusculi, validi, articulo penultimo bilobo, secundo tertium subincludente. — *Corpus* breviter-ovatum, crassum.

Typus: — Anthr. varius Auct. — congenerici: — Anthr. scabrosus Fabr. — tesselatus Bohem. vel Anthr. nebulosus Dej.

A βραχὺς brevis, ταρσὸς tarsus.

Observ. — Anguli postici thoracis subacuminati et tarsi breviusculi sunt praeter alios plures characteres, notae hujus subgeneris cognitae. Cum ad hoc subgenus pertinentium specierum vita larvalis a caeterarum, huic Familiae adscriptarum omnino abhorreat, credo equidem ex his proprium et determinatum constituendum esse genus. Dom. L. R. N. Dalman Scient. Act. Holm. anno 1824 pag. 388 singularem et insignem illam nobis exposuit observationem, has esse parasitas, et larvas quidem Anthribi varii in feminis Coccorum, quae in Betulis et Populis morantur, exsistere (Coccus cypraeola Dalm.) ex quibus excluduntur. Ex his quoque Cocci feminis Anthribum scabrosum, qui huic subgeneri etiam competit, Dom. Profess. S. W. Dalman ipse exclusit.

**Cohors* 3a. Clava antennarum abrupto - incrassata, articulis valde remotis.

Subgenus K. Stenocerus nob.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, tenuissimae, extrorsum pilosae, in medio rostri insertae; articulo basali brevissimo, tertio elongato, reliquis decrescentibus; clava valde elongata, articulis remotis, duobus basalibus cordato-ovatis, ultimo acuminato, compresso. — *Rostrum* elongatum, latiusculum, basi coarctatum, apice valde dilatatum, complanatum. — *Oculi* laterales, suboblongi, paullo prominuli. — *Thorax* transversus, antice multo angustior, basi bisinuatus, ante basin striga transversa, elevata, flexuosa cum margine laterali reflexo, sinuato-connexa, notatus. — *Elytra* thoracis basi parum latiora, sed illo triplo longiora, apice subtruncata, supra in dorsum anticum depressa. — *Pygidium* nudum, semi-rotundatum. — *Corpus* oblongo-ovatum, supra subdepressum.

Typus: — Anthr. fulvitarsis Germ. — congenericus: — Anthr. (Stenocerus) frontalis nob.

A στενὸς angustus, κέρας cornu.

Observ. — Corpus supra subdepressum, rostrum elongatum, basi coarctatum hoc maxime distinguit a ceteris hujus Cohortis subgeneribus.

Subgenus L. Corrhecerus nob.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, maxime tenues, infra sinum oculorum sub latere rostri insertae, extrorsum pilis longis, raris adspersae; articulis 1mo et 2do brevibus, oblongis, crassis, 3 - 8 elongatis, subfiliformibus, exterioribus sensim brevioribus; clava valde elongata, angusta, articulis oblongis, remotis. — *Rostrum* brevissimum, latum, deflexum, apice late emarginatum. — *Oculi* majusculi, subapproximati, parum emarginati, depressi. — *Thorax* transversus, antice angustior, angulis compressus, postice bisinuatus, angulis subacutus, supra convexus, et ante basin et lateribus elevato-marginatus. — *Elytra* elongata, sublinearia, supra mediocriter convexa. — *Pygidium* minutum, triangulare. — *Corpus* oblongo-ovatum, convexum.

Typus: — Anthr. mixtus Germ. — plures species non vidi.

A *κόῤῥη* crinis, *κέρας* cornu.

Observ. — Forma clavae antennarum hoc subgenus praecipue a Phloeobio distinguitur; illa antennarum insertio et aliarum partium diversa structura, aegre conjunctionem cum alio quodam subgenere hujus cohortis pati mihi videtur.

Subgenus M. Araecerus nob. — Anthribus et Bruchus Fabr.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, tenues, sub oculos insertae; articulis duobus basalibus crassis, reliquis subobconicis, tenuibus; clava elongata, angusta, articulis remotis. — *Rostrum* breve, latum, deflexum, apice subtruncatum. — *Oculi* majusculi, laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* brevis, transversus, postice latior, bisinuatus, elevato-marginatus, angulis posticis subacuminatis. — *Elytra* thorace paullo latiora et illo triplo longiora, apice obtuse rotundata, supra mediocriter convexa. — *Pygidium* nudum, semi-rotundatum, planum. — *Pedes* validiusculi; tarsis elongatis, articulo 1mo longo, basi tenui, secundo dimidio breviori, subtus obsolete spongioso, tertium minutum, bilobum

subincludente. — *Corpus* breviter sub-ovatum, crassum, convexum.

Typus: — Anthr. Coffeae Fabr. Oliv. — congenericus: Anthr. (Araec.) guttatus nob.

Ab ἀραιὸς tenuis, κέρας cornu.

Observ. — Hoc subgenus in multis cum genere Brachytarso convenit, forma vero antennarum tarsorumque valde differt.

Genus 5. Eucorynus nob. — Anthribus Fabr.

Character generis: — Antennae longiusculae, in medio rostri insertae; clava elongata, compressa, apice rotundata, 4-articulata.

Caput convexum.

Rostrum breve, subtransversum.

Oculi laterales, rotundati, prominuli.

Thorax subconicus, ante basin striga elevata, transversa, cum margine laterali connexa, insignitus.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-elongatum, alatum. — *Antennae* rectae, thorace longiores, in medio rostri insertae, validae, parce pilosae; articulo 1mo et 2do brevibus, 3 et 4o longioribus, obconicis, 5-7 iterum brevibus, quatuor ultimis magnis, latis, compressis, clavam elongatam, apice rotundatam formantibus. — *Caput* convexum. — *Rostrum* breve, subtransversum. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* subconicus, antice et postice truncatus, lateribus juxta medium angulisque posticis rotundatus, paullo ante basin striga elevata transversa, cum margine laterali reflexo versus medium continuata, instructus. — *Scutellum* minutum, punctiforme. — *Elytra* elongata, convexa, thorace vix latiora, sed illo triplo longiora, antice truncata, apice rotundata, ad latera subrecta. — *Pygidium* minutum, nudum, semirotundatum. — *Pedes* validi, omnino mutici; femoribus clavatis; tarsis breviusculis, articulo penultimo brevissimo, bilobo.

Typus: — Anthrib. crassicornis Fabr. — nec plures vidi.

Ab εὖ bene, κορύνη clava.

Observ. — Clava antennarum 4-articulata, praeter alios characteres, hocce genus distinguitur. — Statura et facies fere ut in subgenere Scythropi (n. 70.).

(*Divisio* 3a. Attelabides: Rostrum subcylindricum, deflexum, saepe filiforme vel saepius apice dilatatum. Caput pone oculos elongatum. Antennae clavatae, 11, 12, articulatae. Elytra elongato-subquadrata. Pygidium nudum.)

Genus 6. Apoderus Oliv., Billb., Germ. in litt., Dejean. — Attelabus Linn., Fabr., Germ., Gyll. et multi alii. — Curculio De Geer.

Character generis: — Antennae 12-articulatae, quorum quatuor ultimi connexi, clavam formantes.

Rostrum capite brevius, crassum, apice vix dilatatum.

Caput oblongum, posterius valde angustatum, collo tenui, thoraci adnexum.

Descriptio: — *Corpus* ovato-subquadratum, alatum. — *Antennae* rectae, validae, in medio rostri superne insertae, capite parum longiores; articulo 1o crassiori, obconico, 2o brevi nodoso, 3-8 obconicis, sensim paullo crassioribus, 9-12 connexis, clavam cylindrico-ovalem formantibus, articulo ultimo minuto, retracto, acuminato. — *Rostrum* capite brevius, crassum, vix apice dilatatum. — *Caput* oblongum, posterius valde angustatum, sub-obconicum, collo tenui thoraci adnexum. — *Oculi* laterales, globosi, prominuli. — *Thorax* subconicus l. triangularis, antice valde angustatus, emarginatus et intra apicem constrictus, basi truncatus, supra parum convexus. — *Scutellum* semi-orbiculatum. — *Elytra* thorace fere duplo latiora et illo triplo longiora, oblongo-quadrata, antice truncata, apice singulatim rotundato dehiscentia, ad latera subrecta, supra convexa, ante medium dorsi impressa; humeris angulato-elevatis. — *Pygidium* nudum. — *Pedes* longi, antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis apice unco uno valido intus armatis; tarsis longiusculis, articulis 1 et 2 trigonis, illo

basi subtenui, penultimo latiore bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

Typus: — Attelab. Coryli Fabr.

Species mihi cognitae et huc etiam pertinentes: Attelab. intermedius Illig. — rufus — gemmatus — fuscicornis — spinosus — nigripennis — cygneus et Hystrix Fabr. — melanopterus Wiedem. — collaris Gyllenh. n. sp.

Apoderes: quia ἀπο in compositione nunc perfectionem quandam, nunc continuationem, nunc confirmationem significat, et δέρη collum.

Genus 7. Attelabus Fabr., Gyllenh. et multi alii. — Rhynchites Illig. — Curculio De Geer. — Chyphus Thunb. — Rhinomacer Laichart.

Character generis: — Antennae 11 - articulatae, quorum tres ultimi connexi, perfoliati, clavamque formantes.

Rostrum capite brevius, apice valde incrassatum.

Caput oblongum, posterius non angustatum, absque collo distincto, thoraci insertum.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, subquadratum, alatum. — *Antennae* rectae, validae, in rostri medio superne insertae, capite paullo longiores; articulo 1o longiore, crassiore, sequentibus septem brevibus, subobconicis, ultimis tribus connexis, perfoliatis, clavam cylindrico-ovalem, acutam formantibus. — *Rostrum* capite paullo brevius, deflexum; crassum, apice dilatatum, arcuatum. — *Caput* oblongum, subcylindricum, posterius non angustatum, absque distincto collo thoraci insertum. — *Oculi* sublaterales, globosi, prominuli. — *Thorax* subquadratus, antice tamen paullo angustior, basi et apice truncatus, supra mediocriter convexus. — *Scutellum* magnum, rotundato-subquadratum. — *Elytra* thoracis basi vix dimidio latiora, quo triplo longiora, subquadrata, antice truncata, apice singulatim rotundata, dehiscentia, ad latera subrecta, supra convexa; humeris angulato-elevatis. — *Pygidium* nudum. — *Pedes* longi; femoribus clavatis, tibiis intus denticulatis, apice unco duplici

intus armatis; tarsorum articulo penultimo lato, spongioso, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Attel. curculionoïdes Fabr. — species, quas vidi, sunt: Attel. analis Illig. — bipustulatus Fabr. — nitidus Fabr. — Rhois nob. — longimanus Fabr. — brachiatus nob. — dentipes et variolosus Fabr. — bispinosus Gyllenh. — ignitus nob. — melancoryphus Germ.

ἀττέλαβος, subsiliendo prehendens, quod ab *ἄττειν* subsilire et *λαβή* prehensio athletarum. — Cicadula, Jonst. 87.

Genus 8. Rhynchites Herbst., Gyllenh., Latr., Oliv., Germ. Dejean, Thunb., Billb. — Attelabus Fabr. — Mechoris Billb. — Rhinomacer Laich., Clairv. — Curculio Linn., De Geer, et alii.

Character generis: — Antennae 11-articulatae, quorum tres ultimi remoti, subperfoliati, clavam formantes.

Rostrum elongatum, filiforme l. deplanatum, ad apicem dilatatum.

Caput elongatum, postice vero non angustatum; collo crasso thoraci insertum.

Descriptio: — *Corpus* elongato-subquadratum, alatum. — *Antennae* rectae, in medio rostri laterum superne insertae, 11-articulatae: articulis basalibus longiusculis, subcylindricis, mediis aut sub-obconicis, aut subrotundatis, tribus apicalibus remotis, crassis, clavam ovalem, subperfoliatam formantibus, 9o et 10o nempe subturbinatis, ultimo nempe ovato. — *Rostrum* deflexum, varium, plus minusve elongatum, aut filiforme, arcuatum, aut rectum, ad apicem dilatatum; canalicula antennalis, seu scrobs in medio rostri incipiens, recta, ad oculos protracta. — *Caput* juxta oculos elongatum, non vero angustatum, collo crasso thoraci connexum. — *Oculi* laterales, interdum subapproximati, rotundati; modice prominuli. — *Thorax* conico-cylindricus, basi apiceque truncatus, antice angustior, in eo, quem puto marem, sexu saepius utrinque unispinosus. — *Scutellum* rotundatum, subtransversum. — *Elytra* thoracis basi fere dimi-

latiora, quo fere triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa, dorso antico saepius depressa; humeris obtuse angulatis. — *Pygidium* nudum, semi-rotundatum. — *Pedes* robusti; antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice truncatis, muticis; tarsorum articulo penultimo spongioso, lato, bilobo, unguibus validis.

Species mihi cognitae et huc pertinentes: Rhynchit. azureus Oliv. l. javanicus Thunb. — Attel. hungaricus — coeruleocephalus — aequatus — cupreus — bicolor — Bacchus — Populi — Betuleti — pubescens — Alliariae et Betulae Fabr. Rh. exaratus — aeneus et politus nob. — Rh. sericeus et minutus Herbst. — rugosus Gebl. in litt. — nanus Gyllenh. — Fragariae Steven.

A ῥυγχίον rostellum.

Observatio: — Species hujus generis inter se maxime differunt, quoad formam rostri; sed quamvis summam diligentiam adhibuerim, non potui distinctas detegere notas, quoniam rostrum longissimum, filiforme, tam paullatim in rostrum breve, deplanatum, ad apicem dilatatum transgreditur, sine ullo fine determinato; itaque invenire non potui tales characteres, quibus formae tam dissimiles, quam in Rhynch. Hungarico et Betulae, transferri potuerunt ad genera diversa, quamvis partes quaedam, separatim visae, maximam praebeant dissimilitudinem. —

(*Divisio* 4ta. Rhinomacerides: Rostrum elongatum, apice saepius dilatatum, rarius subcylindricum. Caput breve, transversum. Antennae clavatae, 11-articulatae. Elytra oblonga, sublinearia. Pygidium subtectum.)

Genus 9. Rhinomacer Fabr., Oliv., Dej., Billb. — Rhynchites Gyllenh., Germar. — Anthribus Latr., Oliv., Payk., Oken.

Character generis: — Antennae longae, in medio laterum rostri insertae; articulis tribus ultimis crassioribus, valde remotis, clavam angustam formantibus.

Rostrum basi angustum, teres; apice rotundato-dilatatum.

Elytra elongata, sublinearia; supra modice convexa.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, sublineare, molliusculum, alatum. — *Antennae* longitudine fere dimidii corporis, in medio laterum rostri superne insertae, tenues, arcuatae; articulis 11: inferis magis elongatis, obconicis, ultimis tribus crassioribus, valde remotis, clavam angustam formantibus. — *Rostrum* elongatum, capite duplo longius, basi angustum, teres, apice rotundato-dilatatum. — *Caput* breve, transversum, latitudine fere thoracis. — *Oculi* magni, laterales, rotundati, valde prominuli. — *Thorax* oblongus, angustus, subcylindricus, basi apiceque truncatus, supra parum convexus. — *Scutellum* parvum, rotundatum. — *Elytra* molliuscula, supra modice convexa; thorace dimidio latiora, quo fere quadruplo longiora, sublinearia, apice singulatim rotundata, anum fere obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pygidium* vix observandum. — *Pedes* tenues, mediocres, omnino mutici; femoribus incrassatis; tibiis teretibus, tarsi tibiis parum breviores, articulo penultimo latiore, cordato, bilobo, ungui brevi, biunguiculato.

Typus: — Rhinom. attelaboïdes Fabr. — congenericus: Rhinom. Lepturoïdes Fabr.

A ῥὶν nasus, μακρὸς longus.

Observatio: — Cum Rhynchitidis genere in multis convenit; sed structura clavae antennarum, capite brevi transverso, tarsis longiusculis et corpore molliusculo ejusque diversa forma, praecipue distinguitur.

Genus 10. Auletes nob. — Tubicenus Dejean.

Character generis: — Antennae longiusculae, prope basin laterum rostri insertae; clava elongata, lineari, distincta; articulis parum remotis.

Rostrum rectum, subcylindricum.

Elytra oblonga, convexa.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, alatum, minoris magnitudinis. — *Antennae* rectae, capite thoraceque longio-

res, prope basin laterum rostri insertae; articulo 1o et 2o ovatis, crassioribus, 3o - 8o brevioribus, subobconicis; clava elongata, lineari, distincta, 3-articulata, articulis subperfoliatis, parum remotis. — *Rostrum* subcylindricum, omnino rectum. — *Caput* breve, transversum, latitudine fere thoracis. — *Oculi* laterales rotundati, magni, valde prominuli. — *Thorax* oblongus, subcylindricus, ad latera, praesertim posterius, parum rotundatus, basi apiceque truncatus, supra aliquantulum convexus. — *Scutellum* distinctum, triangulare. — *Elytra* thorace dimidio latiora et vix illo triplo longiora, sublinearia, supra convexa, apice rotundata, anum occultantia; humeris obtuse-angulatis. — *Pedes* omnino mutici, minus tenues; tibiis teretibus, basi angustatis, apice truncatis; femoribus vix incrassatis; tarsis longiusculis, articulo penultimo valde latiore, cordato, bilobo, subtus spongioso, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Auletes Tubicen nob. l. Tubicenus rhynchitoïdes Dej. Catalog pag. 79.

Ab αὐλητής, tibicen.

Observ. — Cum Rhinomacero et Rhynchitide in multis hoc genus convenit, sed antennae in basin rostri insertae, articuli clavae antennarum parum remoti, et rostrum rectum, subcylindricum; unde videtur mihi hoc genus debere definiri quasi proprium. — Unam tantum speciem e Dalmatia vidi, quae magnitudinem Rhynchit. nani vix attingit.

(*Divisio* 5ta. Apionides: nob. Rostrum subporrectum, cylindricum l. filiforme, in paucis basi crassum, apice subulatum. Antennae clavatae, 11-articulatae, versus medium l. ad basin rostri insertae. Caput pone oculos elongatum. Elytra anum tegentia.)

Genus 11. Apion. Herbst., Germ., Gyllenh., Kirby, Thunb. — Apius Billb. — Attelabus Fabr. Payk. — Curculio Linn., De Geer. — Rhinomacer Laichart., Clairv. — Oxystoma Dumér.

Character generis: — Antennae sub capite inflexae, versus medium vel ad basin rostri insertae; articulis tribus ultimis arcte connexis, clavam ovalem, acutam formantibus.

Rostrum in plerisque tenue, cylindricum, arcuatum; longitudine variat.

Caput postice elongatum.

Elytra ovata, fornicata.

Descriptio: — *Corpus* ob-pyriforme, anterius valde attenuatum alatum. — *Antennae* rectae, saepe arcuatae et sub capite inflexae l. versus medium l. ad basin rostri insertae; articulis undecim, 1o clavato, magis elongato, 2o subobconicis, sequentibus sex brevissimis, aequalibus, conico-rotundatis aut subturbinatis, tribus ultimis arcte connexis, clavam ovalem, acutam formantibus. — *Rostrum* saepius subporrectum, in plerisque tenue, cylindricum, in paucis basi crassum, apice subulatum, arcuatum, longitudine variat, in masculis plerumque brevius et crassius. — *Caput* postice elongatum. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* basi apiceque truncatus, conicus l. subcylindricus. — *Scutellum* minutum, punctiforme. — *Elytra* ovata, antice truncata, thorace fere duplo latiora, fornicata, pone medium ampliata, anum tegentia. — *Pedes* elongati, mutici; femoribus clavatis; tibiis teretibus, a basi sensim crassioribus; tarsis elongatis, subtus spongiosis; articulis duobus basalibus subobconicis, penultimo latiore, cordato, bifido, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1ma. Rostrum apice subulatum.

Ad hanc stirpem referendi sunt:

Ap. Pomonae Auct. — subulatum Germ. — Craccae. Germ., Gyllenh. — Attelabus Crotalariae Fabr.

Stirps 2a. Rostrum cylindricum l. filiforme.

Huc adnumerantur: — Ap. vicinum Germ. l. Loti Gyll. — Malvae Auct. — apricans Germ. — et plures aliae.

Ab ἄπιος l. ἄπιον, pyrus.

(*Divisio* 6ta. Rhamphides: Rostrum elongatum, inflexum. Antennae clavatae, 11-articulatae, in sinciput insertae. Pedes postici saltatorii.)

Genus 12. Rhamphus Clairv., Oliv., Latr., Germ., Billb. — Rhynchaenus Gyllen. — Curculio Herbst, Payk., Marsh. —

Character generis: — Antennae tenues, breves, in sinciput intus infra oculis insertae.

Rostrum linaara, depressum, semper inflexum et pectori arcte applicatum.

Oculi in fronte conniventes.

Pedes saltatorii.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, alatum. — *Antennae* rectae, tenues, longitudine thoracis, in sincipite intus infra oculos insertae; articulis undecim: duo priores, secundus praesertim, sequentibus multo crassiores, 3-7 fere globosi, ultimi quatuor arcte connexi, clavam ovalem, acutam formantes. — *Rostrum* longitudine thoracis, arcuatum, lineare, depressum, semper inflexum et pectori arcte applicatum. — *Oculi* in fronte conniventes, magni, rotundati, depressi. — *Thorax* brevis, lateribus rotundatus, antrorsum valde angustatus, basi apiceque truncatus, supra parum convexus. — *Scutellum* minutum, apice rotundatum. — *Elytra* obovata, antice truncata, thoracis basi paullo latiora, posterius ampliata, thorace quintuplo longiora, supra modice convexa, apice subrotundata, l. potius subtruncata, anum suboccultantia. — *Pedes* mediocres, omnino mutici, postici saltatorii; femoribus valde incrassatis; tarsorum spongiis distinctis, subdilatatis, articulo ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhamphus flavicornis auctorum.

Huc quoque referri posse opinor Ramph. tomentosus Oliv., Rh. subaeneus Illig.

A ῥάμφος rostrum avium.

Observ. — Genus hujus familiae species forte minutissimas amplectens.

(*Divisio 7a.* **Thamnophilides:** Rostrum elongatum, cylindricum, deflexum. Antennae arcuatae, clavatae, 12-articulatae, versus medium rostri in canaliculam insertae. Caput pone oculos non elongatum s. Pygidium nudum.)

Genus 13. **Laemosaccus** nob. — **Rhynchaenus** Fabr. — **Rhina** Oliv. — **Curculio** Herbst.

Character generis: — Antennae arcuatae, breves, ante medium rostri insertae; clava magna, ovalis.

Rostrum cylindricum, crassiusculum, rectum, sat breve; canalicula antennalis brevissima, obliqua.

Oculi subapproximati:

Elytra oblongo-subquadrata, sublinearia; abdomine breviora.

Pedes robusti, breves; tibiae apice extus unco valido deflexo armatae.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, apice subtruncatum, alatum; *Antennae* arcuatae, breves, ante medium rostri insertae, 12-articulatae: articulo 1° et 2° oblongis, 3—8 brevissimis, coarctatis; 8° multo crassiore, clavam incipiente; clava magna, ovali, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* deflexum, teres l. cylindricum, crassiusculum, rectum, sat breve; scrobe l. canalicula antennali brevissima, obliqua. — *Oculi* subapproximati, rotundati, magni, prominuli. — *Gula* valde inflata, globosa, emarginaturam anticam pectoris implens. — *Thorax* pulvinatus, antice coarctatus, truncatus, lateribus rotundatus, postice latior, trilobus. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum. — *Elytra* brevia, thoracis basi paullo latiora, et illo duplo longiora, apice fere truncata, supra modice convexa, lateribus subrectis; singulorum elytrorum basis lobum rotundatum, scutello propiorem et thoracis basin incumbentem, emittit. — *Pygidium* magnum, nudum. — *Pedes* breves, robusti; femoribus crassis, anterioribus praesertim acute dentatis; tibiis latis, compressis, subcurvatis, apice extus unco valido deflexo armatis; tarsis breviusculis, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo gracili, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaenus plagiatus Fabr. l. Curcul. Nephele Herbst. — nec plures species vidi.

A λαιμὸς gula σάκκος saccus.

Observatio: — Diagnosis indicat, hoc genus valde esse distinctum, cum a generibus ceteris, tum a Thamnophilo, cui praeterea aliquantisper est simile.

Genus 10. Thamnophilus nob. — Magdalis Germ., Rhinodes Dej. — Rhina Oliv. Meg. — Rhynchaenus Fabr., Gyllenh. — Curculio reliquorum.

Character generis: — Antennae mediocres, arcuatae, non vero fractae, etsi scapus oculos attingit, in medio rostri insertae; clava brevior; oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum cylindricum, in plerisque elongatum, arcuatum, in nonnullis breviusculum, subrectum.

Oculi magni, subapproximati.

Elytra subcylindrica, convexa.

Tibiae apice unco valido armatae.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, cylindricum, alatum. — *Antennae* arcuatae, non fractae, thoracis medium non superantes, in medio rostri insertae, validiusculae, 12-articulatae: scapo seu articulo 1° elongato, oculos attingente, clavato, plerumque sub-arcuato; 2° brevi, crassiusculo, obconico, 3° minore, etiam obconico, 4-8, brevibus, coarctatis, cyathi-formibus, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava 4-articulata, oblongo-ovata, acuminata, crassiuscula. — *Rostrum* deflexum, cylindricum, in plerisque, praesertim in foeminis, capite duplo longius, arcuatum, in masculis brevius et crassius; in paucis vero capite vix longius, fere rectum; scrobe infra-oculari, curvata. *Oculi* majusculi, oblongi, transverse positi, modice prominuli, fronte subapproximati — *Thorax* anterius angustior, basi in plerisque profunde bi-sinuatus, angulis acuminatis, supra parum convexus, in aliis basi vix sinuatus, fere truncatus. *Scutellum* distinctum, oblongum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi latiora, et illo triplo vel quadruplo longiora, con-

vexa, sub-cylindrica; vel in quibusdam posterius paullo latiora, in plerisque antice singulatim rotundato-producta, thoracis basin sub-obtegentia; vel in aliis basi subtruncata, humeris obtuse angulatis; apice ipso obtuse singulatim rotundata. *Pygidium* transversim-ovatum, ab elytris vix tectum. — *Pedes* mediocres; validi; femoribus in plerisque dentatis; tibiis omnibus apice intus unco valido sub-inflexo armatis; tarsis elongatis, crassis, articulo penultimo latiore, bilobo, ciliato, unguiculari mediocri, clavato, biunguiculato.

Stirps 1ma. Rostrum capite duplo logius, arcuatum. Thorax postice bi-sinuatus. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basin sub-obtegentia.

Typus: — Rhynchaen. violaceus Fabr., Gyllenh., Oliv. — congenerici. Rhynch. phlegmaticus, Cerasi et stygius Gyll. — Magdal. duplicata Germ. — et plures aliae.

Stirps 2a — (Edo Germ. olim.) Rostrum vix capite longius, subrectum. Thorax postice et elytra antice subtruncata.

Typus: — Rhynchaen. Pruni Fabr., Gyllenh. — Huc quoque pertinent: Thamnophil. trifoveolatus Bohem. l. Rhina bi-punctata Megerle in litt.

A *θάμνος* frutex, *φιλέω* diligo.

Observat. — Quod a Germar, illustrissimo illo viro huic generi antea impositum est nomen Magdalim mutare ausus sum, partim, quod vitam in fructicibus suam agit, et hoc nomen forte a *μαγδαλία* (pulpa mollior ex pane) originem suam trahit, partim, quod nomen ipsum generis est feminini.

Subgenus. — Panus. nob. —

Adumbratio: — Antennae arcuatae, non fractae, longitudine capitis una cum thorace, crassiusculae; scapo s. articulo 1o oculos attingente, clavato, subarcuato, 2o brevi, crasso, suborbiculato, 3o minore, obconico, 4-7 brevissimis, valde coarctatis, subaequalibus, 8o etiam brevi, sed multo latiore, perfoliato: clava maxima, dimidiam totius antennae longitudinem superante, crassa, subcylindrica, apice

subacuminata, articulis quatuor arcte junctis, aegre discernendis. —

Rostrum longitudine capitis, crassiusculum, parum arcuatum. —

Oculi magni subapproximati. — Elytra subcylindrica, convexa, basi apiceque singulatim rotundata.

Typus: — Rhynchaen. Rhina; var. β. Gyllenh. Ins. sv. nec plures species vidi. —

Denominatio subgenerica a forma clavae antennarum derivata.

Observ. — Statura et facies eadem ac in Thamnoph. Pruni, antennarum vero structura valde diversa.

Divisio 8a. — Ithycerides: Rostrum breve, aut teres, aut subangulatum. Antennae breves, clavatae, 12-articulatae.

Genus 15. Chlorophanus. Dalm. — Germ. Insect. Sp. nov I. p. 440. — Chlorima Dejean. — Curculio Linn., Fabr., Gyllenh. — Platyrhynchus Megerle. — Brachyrhinus Latr., Billb.

Character generis: — Antennae breves, versus apicem rostri insertae; scapus elongatus, articulis funiculi obconicis, exterioribus sensim brevioribus; clava ovata acuminata.

Rostrum breve, in medio carinula longitudinali, elevata notatum, apice profunde emarginatum.

Oculi rotundati, mediocriter prominuli.

Thorax oblongus, anterius angustior, basi bisinuatus.

Scutellum parvum, triangulare.

Elytra ovata, apice mucrone parvo, piloso-armata.

Tibiae anteriores intus curvatae, apice unco inflexo saepius instructae.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, saepius viridi-pollinosum, alatum. — *Antennae* infractae, ad thoracis medium pertingentes, versus apicem rostri insertae, sub-

tenues, articulis 12: 1o oculos vix attingente, clavato, 2 - 8 obconicis, gradatim brevioribus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve subhorizontale, crassum, capite angustius, superne in medio carinula elevata, ad frontem usque producta, apice triangulariter emarginatum, ore piloso; scrobe curvata, laevi, ante oculum abbreviata. — *Oculi* parvi, rotundati, subprominuli. — *Thorax* latitudine baseos paullo longior, antrorsum paullo angustior, truncatus, lateribus vix rotundatus, basi leviter bisinuatus, supra modice convexus, subtus pone gulam in aliis integer, in aliis late sed parum emarginatus, margine tunc paullo reflexo. — *Scutellum* parvum, triangulare, distinctum. — *Elytra* magna, thoracis postici dimidio latiora, sed illo quintuplo longiora, humeris obtuse angulatis; apicem versus attenuata, apice ipso mucrone parvo, piloso, recto armata, supra mediocriter convexa, regulariter punctato-striata, anum occultantia. — *Pedes* elongati, antici paullo longiores, subtenues; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis subteretibus, anterioribus intus curvatis, apice intus unco, praesertim in altero sexu magno, inflexo, armatis; tarsis articulis duobus basalibus subtrigonis, primo elongato, penultimo lato, bilobo, subtus spongioso, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a Clava antennarum oblongo-ovata. Tibiae anteriores apice saepius unco valido armatae.

Typus: — Curculio viridis Auctorum. — Species mihi cognitae et huc pertinentes: Curculio flavescens - pollinosus et sellatus Fabr. — Chloroph. submarginalis nob.

Stirps 2a — Clava antennarum ovata, brevissima, subconica. Mandibulae exsertae, rectae, corneae, acuminatae. Tibiae anteriores apice unco parvo armatae. (Phaenodes nob. olim.)

Typus: — Curculio fallax Illig. et Germ. - nec plures vidi.

A χλωρὸς viridis, φανὸς lucidus.

Quamvis habitu magnam exhibeat similitudinem cum legione Brachyrhynchorum et divisione Brachyde-

ridum, hoc tamen genus huic loco, quoniam antennae non sunt fractae, applicare coactus sum.

Genus 16. Ithycerus — Dalm. — Rhynchites Herbst. — Curculio Fabr., Oliv, — Chlorima Germ.

Character generis: — Antennae breves, versus apicem rostri insertae; articulis obconicis, gradatim brevibus, remotis; clava sub-ovata, minuta.

Rostrum breve, apice incrassatum.

Thorax oblongus, subcylindricus basi apiceque truncatus.

Scutellum majusculum, triangulare.

Elytra oblongo-ovata, supra convexa, versus apicem declivia, subcallosa; humeri rectangulati.

Pygidium nudum, minutum.

Tibiae rectae, apice truncatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum alatum, facies fere generis Hylobii. — *Antennae* rectae, breves, validae, versus apicem rostri insertae, 12-articulatae: articulo 1o subclavato, brevi, oculum haud tangente, 2-8 obconicis, exterioribus sensim brevioribus, remotis; clava minuta, ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* breve, subhorizontale, sed paullo nutans, carinatum, apice incrassatum, erosum; canalicula antennalia fere nulla. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine longior, elytris multo angustior; basi apiceque truncatus, lateribus parum rotundatus, supra convexus, subtus integer. — *Scutellum* majusculum, triangulare. — *Elytra* oblonga, antice thorace duplo latiora, supra convexa, versus apicem declivia, sub-callosa, apice ipso singulatim rotundata; humeris rectangulatis. — *Pygidium* nudum, minutum. — *Pedes* validi; femoribus muticis; tibiis rectis, apice truncatis, anticis apice intus spina horizontali minutissima armatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1,2 trigonis, subaequalibus, 3o reliquis vix latiore, bilobo. ultimo valido, clavato, biunguiculato.

Typus. — Rhynchites curculionoides Herbst. — nec plures vidi.

Ab Ἰθὺς rectus, κέρας cornu.

Observ. — Rostrum apice erosum haud triangulariter emarginatum, scapus brevissimus, thorax postice truncatus, scutellum majusculum, elytra apice singulatim rotundata et rectae tibiae, antice ad apicem spina horizontali minutissima intus armatae, hoc genus a Chlorophano bene distinguunt.

Genus 17. Mecaspis nob. — Lixus Oliv. — Cleonis Dejean. —

Character generis: — *Antennae* breves, validiusculae; scapus oculos vix attingens, articulis primis funiculi longiusculis, subobconicis, reliquis brevissimis, transversis, coarctatis; clava oblonga, ovalis. —

Rostrum capite longius, crassiusculum, subarcuatum, in medio carinatum.

Oculi ovati, depressi.

Thorax subconicus, antice emarginatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio baseos fovea longitudinali profunde impressus.

Scutellum valde elongatum, triangulare, acuminatum.

Elytra sublinearia, antice singulatim rotundata, supra parum convexa, versus apicem callosa.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, subcylindricum, alatum. — *Antennae* ad medium thoracis pertingentes, infra medium rostri insertae, validiusculae, haud visibiliter fractae, 12-articulatae: articulo 1o oculos vix attingente, apice incrassato, 2 et 3 longiusculis, subobconicis, 4-8 brevissimis, transversis, coarctatis, subaequalibus; clava oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capite longius, crassiusculum, subdeflexum, subarcuatum, supra subplanum, in medio carinatum; scrobe valde curvata, subtus flexa, ad basin rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, ovati, depressi, oblique positi. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius angustior, subconicus, apice late emarginatus, ad latera lobis rotundatis versus oculos productis instructus, basi bisinuatus, ante scutellum prominenter lobatus, lateribus vix rotundatus, supra parum convexus, in medio baseos fovea longitudinali profunde impressus, subtus pone gulam le-

viter emarginatus. — *Scutellum* magnum, valde elongatum, triangulare, angustum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, et illo fere quintuplo longiora, sublinearia, humeris subrotundatis; antice singulatim rotundata, sinubus thoracis basalibus applicata, supra parum convexa, versus apicem callosa, apice ipso singulatim rotundata, pygidium tegentia. — *Pedes* mediocres, basi approximati; femoribus muticis, in medio incrassatis; tibiae teretes, apice unco parvo, subhorizontali intus armatae; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulis 1, 2 subtrigonis, 3° latiore, bilobo, ultimo elongato, valido biunguiculato.

Typus: — Lixus palmatus Oliv. — Nullam speciem aliam vidi.

A μῆκος longitudo, ἀσπὶς scutellum.

Observ. — Habitus Lixi. — Generi Cleoni valde associatum; differt imprimis antennis haud fractis, nec articulo octavo adeo incrassato, nec cum clava coadunato, scutellum valde elongatum.

Genus 18. Pachycerus Gyllenh. — Lixus Oliv. — Curculio Herbst. — Cleonis Dejean.

Character generis: — Antennae brevissimae, crassae versus apicem rostri insertae; articulis 2-8 brevibus, coarctatis, clava fusiformis.

Rostrum breve, crassum, angulatum, supra impressum, inaequale. —

Oculi ovales, immersi.

Thorax oblongus, antice coarctatus, lobis ocularibus distinctis, basi sub-bisinuatus.

Scutellum vix observandum.

Elytra elongata, convexa, versus apicem angustata, humeri subrotundati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, alatum. — *Antennae* brevissimae, rectae, crassae, versus apicem rostri insertae; articulis 12: 1° elongato clavato, oculos non attingente, 2° et 3° brevissime obconicis 4°-8° transversis, coarctatis; clava fusiformi, angustata acuminata, 4-articu-

lata, articulis arctissime connexis. — *Rostrum* breve, crassum, angulatum, subdeflexum, supra impressum, carinatum, inaequale, apice incrassatum; scrobs profunda, infraoculari, curvata. — *Oculi* laterales, ovales, immersi, transversim positi. — *Thorax* latitudine longior, antice coarctatus, truncatus, pone oculos lobatus, lateribus rotundatus, basi subsinuatus, supra modice convexus. — *Scutellum* minutissimum, vix conspicuum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, sed illo fere quadruplo longiora, versus apicem angustata, apice ipso singulatim subrotundata, supra modice convexa, postice declivia, subcallosa; humeris subrotundatis. — *Pedes* fortes; femoribus clavatis, muticis; tibiae teretes, versus apicem spina et in apice ipso unco horizontali intus armatae; tarsis elongatis, articulis tribus basalibus subtus spongiosis, latitudine subaequalibus, ultimo valido, clavato, biunguiculato.

Typus: — Lixus madidus Oliv. l. Curc. varius Herbst. nec plures species vidi.

A παχὺς crassus, κέρας cornu.

Observ. — Hoc genus in limite est Gonatocerorum, et certe valde assimile Cleono nob. (Lixus Oliv. — Cleonis Dej.), sed antennae crassiores et rectae, mihi haud visibiliter fractae, praeter plures characteres, minus tamen essentiales, mihi hoc diversum genus formandi caussam dederunt.

Genus 19. Rhinocyllus Germ. n. Wetter. Annal., Billb. — Lixus Oliv. Latr. Illig. — Curculio Herbst., Rossi et plures. — Rhinobatus Dejean.

Character generis: — Antennae brevissimae, crassae; articulis tranversis, subperfoliatis, subcoarctatis, crassitudine crescentibus; clava ovata.

Rostrum breve, crassum, angulatum, deflexum.

Oculi ovales, inferne angustati.

Scutellum minutissimum.

Thorax subconicus, postice profunde bi-sinuatus.

Elytra oblonga, sublinearia, convexa, basi singulatim rotundata.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, capitis, thoracis, elytrorumque latitudinem sensim adaequat, unde facies subaequalis; alatum. — *Antennae* rectae, subarcuatae, brevissimae, in medio rostri insertae, crassae, 12 - articulatae: articulo 1° longiore, obconico, oculos subattingente, reliquis brevibus, tranversis, subperfoliatis, subcoarctatis, gradatim paullo latioribus; clava ovata, 4 - articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* breve, crassum, angulatum, deflexum, subarcuatum; scrobe infra-oculari, curvata. — *Oculi* laterales, ovales, inferne angustati, convexiusculi. — *Thorax* subconicus, antice truncatus, ad basin profunde - bisinuatus, in medio lobatus, subtus pone gulam late, non vero profunde emarginatus. — *Scutellum* minutissimum, vix conspicuum. — *Elytra* oblonga, sublinearia, basi singulatim rotundato - producta, thoracis parte postica vix latiora, versus apicem subcallosa, apice ipso obtuse rotundata. — *Pedes* validi; tibiis apice unco minuto intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato, unguibus brevibus.

Typus: — Curcul. thaumaturgus Ross. l. Lix. antiodontalgicus Illig. — Species mihi cognitae et huc etiam pertinentes: Rhinocyllus carinatus Megerle l. Lix. latirostris Latr. Lix morosus Oliv. — Rhinoc. Olivierii Megerle, l. Lix. odontalgicus Oliv. — Rhinobat. planifrons Dej.

A ῥίν nasus, κυλλὸς curvus.

Observ. — Hoc ab illustrissimo illo viro Germaro, genus primo constructum, deinde ab illo cum genere Larini conjunctum, a quo tamen abunde differt antennarum et rostri forma.

Genus 20. **Lachnaeus** nob.

Character generis: — Antennae breves, deflexae, validiusculae; articulo 1° elongato, clavato, 2° brevi; subnodoso, 3° - 8° brevissimis, subrotundatis, clava ovata, crassiuscula.

Rostrum subbreve, crassiusculum, subteres.

Oculi ovati, parum prominuli.

Thorax longitudine latior, anterius valde angustior, postice bisinuatus.

Elytra ovata, basi singulatim rotundato-producta, supra modice convexa; humeri subrotundati.

Descriptio: — *Corpus* breviter-ovatum, pilosum, alatum, minoris magnitudinis. — *Antennae* thoracis medium attingentes, in medio rostri insertae, deflexae, arcuatae, non fractae, validiusculae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, clavato, oculos subattingente, 2° brevi, subnodoso, 3-8 brevissimis, lenticularibus, subaequalibus; clava ovata, crassiuscula, apice acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite paullo longius, deflexum, crassiusculum, subteres; scrobe infra-oculari curvata. — *Oculi* laterales, ovati, parum prominuli. — *Thorax* longitudine latior, anterius multo angustior, antice late subemarginatus, lateribus paullo rotundatus, postice bisinuatus, in medio lobatus, supra parum convexus, infra pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* ovata, thoracis basi paullo latiora, sed illo triplo longiora, posterius angustiora, basi singulatim rotundato-producta, humeris subrotundatis; supra modice convexa, versus apicem subcallosa. — *Pedes* mediocres, validi; femoribus in medio crassioribus; tibiae rectae, omnes apice unco horizontali intus armatae; tarsis parum dilatatis, articulo penultimo latiore, cordato, bilobo, subtus obsolete spongioso, unguiculari, crasso, biunguiculato.

Typus: Lachn. crinitus nob. e Caucaso-hanc unam vidi speciem.

A λαχναῖος pilosus, hirsutus.

Observ. — Statura et facies eadem fere, ac generis Larini, a quo tamen ceterum abunde differt structura antennarum, forma rostri etc. — Simile etiam generi Rhinocyllo, sed differt, antennarum majore tenuitate aliterque constructarum, forma corporis breviore et latiore.

Genus 21. Nerthops nob. — Rhynchites Wiedem.

Character generis: — Antennae brevissimae, crassiusculae, in rostri medio insertae; articulis funiculi trans-

versis, coarctatis, crassitudine crescentibus; clava ovata, acuminata.

Rostrum breviusculum, nutans, teres, subarcuatum.

Oculi laterales, maximi, infra caput fere connexi.

Elytra oblongo-subquadrata, parum convexa.

Pygidium nudum, semicirculare.

Descriptio: — *Corpus* ovato-subquadratum, parum convexum, alatum. — *Antennae* rectae, brevissimae, capite paullo longiores, crassiusculae, in rostri medio insertae, articulis 12: 1° breviusculo, subobconico, 2° brevi, nodoso, 3-8 brevissimis, transversis, valde coarctatis, sensim paullo crassioribus, 8° clavam incipiente; clava 4-articulata, ovata, articulo ultimo minutissimo, acuminato. — *Rostrum* teres, nutans, capitis longitudine, crassiusculum, subarcuatum; scrobe profunde impressa, ad latera ante apicem incipiente, sensim subtus tendente, et in inferiore parte rostri baseos desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, maximi, infra caput fere connexi, paullulum prominuli. — *Thorax* transversus, antice paullo angustior, truncatus, lateribus valde rotundatus, postice leviter bisinuatus, supra parum convexus. — *Scutellum* sat magnum, triangulare. — *Elytra* oblongo-subquadrata, thorace dimidio latiora ejusque latitudine sesqui longiora, antice et postice singulatim rotundata, supra parum convexa; humeris obtuse-angulatis. — *Pygidium* nudum, semirotundatum. — *Pedes* robusti; femoribus incrassatis, anterioribus subdentatis; tibiae teretes intus curvatae, bisinuatae, apice unco valido subdeflexo armatae; tarsis breviusculis, articulo penultimo latiore, bilobo, spongioso, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchites multiguttatus Wiedem. — nec plures vidi. —

A νέρθε infra ὤψ oculus.

Observ. — Antennis brevissimis, articulis nodosis coarctatis, oculis infra caput fere connexis, pygidio nudo, corpore ovato-subquadrato, parum convexo, hoc genus facile distinguitur.

Genus 22. Oxyops Dalm.

Character generis: — Antennae longiusculae, minus tenues; scapus sensim incrassatus, oculorum medium attingens; articulo basali funiculi brevissimo, 2-7 longioribus, omnibus subobconicis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum capite paullo longius, lineare, teretiusculum.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax anterius angustior, truncatus, postice bisinuatus.

Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundato-producta, thoracis basin obtegentia, latera subrecta.

Sternum porrectum, apice acuminatum.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-subovatum, alatum. — *Antennae* ad thoracis basin pertingentes, minus tenues, in medio rostri insertae, vix perspicue fractae, 12 articulatae: articulo 1° incrassato, oculorum medium attingente, 2° brevissimo, 3-8 sub-obconicis, exterioribus sensim brevioribus; clava oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* deflexum, capite paullo longius, teretiusculum, lineare, apice rotundatum, in medio linea longitudinali elevatum; scrobe lineari, infra-oculari, curvata, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* sublaterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* basi profunde bisinuatus, lateribus nonnihil rotundatus, anterius angustior, truncatus, supra parum convexus, subtus pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* elongatum, sublineare, distinctum. — *Elytra* magna, oblongo-ovata, thoracis basi fere duplo latiora, et illo quadruplo longiora, antice singulatim rotundata, lobata, thoracis basin obtegentia, humeris obtuse angulatis, lateribus subrectis; apice rotundata, intra acumine parvo prominulo, supra convexa, ad suturam planiuscula, versus apicem callosa, anum obtegentia. — *Sternum* inter media coxarum paria porrectum, crassum, breve, apice acuminatum. — *Pedes* mediocres, antici basi approximati; femoribus sublinearibus, muticis; tibiis rectis, subcompressis, intus crenulatis, apice omnino muticis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo.

Typus: — Oxyop. clathratus Dalm. — Insectum singulare e Brasilia. Una sola species mihi cognita, asservatur in Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Ab ὀξὺς acutus, ὤψ oculus.

Genus 23. Tanaos nob. — Apion Thunb.

Character generis: — Antennae brevissimae, arcuatae, in medio rostri insertae, articulis subrotundatis, subaequalibus; clava ovata.

Caput elongatum, porrectum, subconicum.

Rostrum breve, cylindricum, porrectum.

Oculi rotundati, subdepressi.

Thorax subconicus.

Elytra elongata, supra mediocriter convexa, versus apicem attenuata, pygidium obtegentia.

Pedes breves, validi.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, porrectum, durum, alatum. — *Antennae* rectae l. subarcuatae, capite vix longiores, validiusculae, in rostri medio insertae, articulis 12: 1° reliquis longiore, clavato, arcuato, 2° brevi, turbinato, crassiusculo, 3-8 lenticularibus, subaequalibus, sensim perparum crescentibus; clava ovata, acuminata, 4-articulata, articulis distinctis. — *Rostrum* longitudine capitis, crassiusculum, cylindricum, porrectum; scrobes subrectae, obliquae, versus basin rostri subtus conniventes. — *Caput* porrectum, elongatum, subconicum. — *Oculi* laterales, rotundati, subdepressi. — *Thorax* latitudine fere longior, subconicus, antice posticeque truncatus, supra modice convexus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* elongata, oblongo-ovata, antice thoracis basi vix latiora, sed illo fere quintuplo longiora, pone medium latiora, humeris obtuse angulatis; supra modice convexa, apice obtuse rotundata, pygidium obtegentia. — *Pedes* brevissimi, validi; femoribus incrassatis; tibiis subrectis, crassiusculis, apice muticis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo 1° basi subrotundato, 2° trigono, penultimo latiore, bilobo, ultimo brevi, biunguiculato.

Typus: — Tanaos sanguineus Dalm. Apion idem. Thunb. — ex India orientali; e Museo, Illustrissimi Dom. Thunberg, benigne mecum communicatus; nec plures species vidi.

A ταναὸς extensus, porrectus.

Observ. — Hoc genus faciem fere eandem habet ac Cylas, forma vero aliena est et singularis, valde elongata, porrecta. —

Genus 24. Stenocorynus nob. — Curculio Fabr.

Character generis: — Antennae breviusculae; minus tenues; articulo 1° oculos subattingente, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, subturbinatis; clava valde elongata, articulo 1° angusto, longissimo.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, subteres, supra carinatum.

Oculi ovati, subdepressi.

Thorax anterius angustior, pone oculos lobatus, supra convexus.

Scutellum nullum.

Elytra oblongo-ovata, convexa.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, apterum. — *Antennae* thoracis medium vix longitudine superantes, versus apicem rostri insertae, infractae, minus tenues, parce rigide-pilosae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, 2 et 3° longiusculis, obconicis, sequentibus quinque brevibus, subturbinatis; clava elongata, 4-articulata, articulo 1° angusto, longissimo, subcylindrico. — *Rostrum* capite duplo longius, crassiusculum, subteres, supra subplanum; in medio carinatum, apice triangulariter emarginatum, paullulum incrassatum; scrobe curvata, sensim subtus flexa, pone canthum inferum oculi evanescente. — *Oculi* laterales, ovati, subdepressi. — *Thorax* antice late emarginatus, postice truncatus, anterius angustior, lateribus aliquantulum rotundatus, supra convexus, subtus pone gulam profunde emarginatus, juxta oculos eminenter lobatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* oblonga, antice subtruncata,

thoracis basi paullo latiora, sed illo quadruplo longiora, supra valde convexa, apice subacuminata, pygidium tegentia; humeris rotundatis, antrorsum paullo prominulis. — *Pedes* validi, longitudine subaequales; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis teretibus, anterioribus intus paullo arcuatis, apice angulato-dentatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 latiusculis, subtrigonis, penultimo paullo latiore, bilobo, ultimo clavato valido, biunguiculato.

Typus: — Curc. crenulatus Fabr. — Hujus generis unam tantum speciem vidi.

A *στενὸς* angustus, *κορύνη* clava.

Observatio: — Statura fere eadem ac generis Cleoni, a quo tamen abunde differt: antennis haud fractis, clava antennarum singulari, articulo 1o angusto, longissimo, nullo scutello, corpore aptero.

(*Divisio* 9a. Cryptopsides: Rostrum breve, crassum, subinflexum. Antennae breves, tenues, arcuatae, clavatae, 12-articulatae. Thorax subtus pro receptione rostri profunde canaliculatus. Scutellum nullum. Tarsi angustati, setosi.)

Genus 25. Cryptops: nob. — Brachycerus Wiedem.

Character generis: — Antennae breves, tenues, arcuatae; articulo 1o oculos non attingente, 2o et 3o longiusculis, obconicis, 4-8 brevissimis, subrotundatis; clava magna, breviter ovata, acuminata.

Rostrum breve, crassum, subangulatum, apice late emarginatum, anguli saepius tanquam cornua porrecta, nuda, obtusa, producti.

Oculi ovati l. subangulati, immersi; superior arcus callosus.

Thorax oblongo-quadratus, subtus profunde canaliculatus.

Elytra rigida, inaequalia, apice subretusa.

Tarsi crassi, setosi, spongiis nullis.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, crassum, durum, tuberculatum vel inaequale, apterum. — *Antennae* arcuatae, non fractae, capite rostroque vix longiores, infra medium rostri insertae; scapo valde clavato, oculos subattingente; funiculo; 7-articulato, articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevissimis, subrotundatis; clava magna, distincta, breviter ovata, acuminata, 4-articulata, articulo ultimo minuto. — *Caput* latum, oculorum arcu superiore calloso, prominulo eosque tegente. — *Rostrum* subinflexum, thorace paullo brevius, crassum, subangulatum, apice late emarginatum, anguli saepius, ut cornua apice obtusa, producti; ore amplo. — *Oculi* ovati l. subangulati, immersi. — *Thorax* latitudine longior, saepius subquadratus, interdum etiam subrotundatus, antice sinuato-emarginatus, in medio productus, pone oculos eminentissime lobatus, postice truncatus, supra modice convexus, subtus inter pedes anticos manifesto et profunde canaliculatus (ut in divisione Cryptorhyncorum). — *Scutellum* nullum. — *Elytra* oblonga, subquadrata, thorace fere dimidio latiora et illo fere triplo longiora, inaequalia, supra paullo depressa, versus apicem valde convexa, apice subretusa; humeris obtusis, non rectangulatis. — *Pedes* validiusculi, antici approximati; femoribus subcylindricis, muticis; tibiae omnes rectae, anteriores extus dente subobtuso, deflexo, intus unco acuto subinflexo, apice armatae; tarsis compressis, crassis, validis, rigide setosis, articulo ultimo elongato, subcylindrico, unguiculis longis, arcuatis, distantibus.

Typus: — Crypt. Buccellarius nob. — Huc quoque pertinent: Brachycer. quadratus et spinicollis Wiedem., atque praeterea plures species e Cap. bon. spei et Bengalia; quas conspexi in Musaeo pulcherrimo Dom. Westermanni, Havniae.

A κρύπτω abscondo, ὤψ oculus.

Observatio: — Statura et facies eadem, ac in genere Brachyceri, antennae vero aliter constructae atque tenues sunt. A generibus praecedentibus praecipue distinctum red-

ditur thorace subtus profunde canaliculato, tarsis setosis, spongiis nullis.

(*Divisio* 10ª. Antliarhinides: Rostrum porrectum. Antennae clavatae, 11-articulatae; clava angusta, tri-articulata. Scutellum distinctum. Corpus deplanatum.)

Genus 26. Antliarhinus: nob. — Antliarhis Billb. — Rhynchaenus Fabr., Oliv. — Curculio Thunb., Herbst.

Character generis: — Antennae mediocres; clava elongata, 3-articulata.

Rostrum in uno sexu longissimum, arcuatum, subcapillare; in altero sexu breve, rectum, versus apicem sensim attenuatum.

Thorax suborbiculatus, deplanatus.

Elytra oblonga, deplanata; humeris rectangulis.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, complanatum, durum, alatum. — *Antennae* rectae, capite thoraceque paullo longiores, subtenues, 11-articulatae: articulo 1º longo, obconico, 2-6 fere cylindricis, 7 et 8 brevissime obconicis, ultimis tribus paullo crassioribus, clavam oblongam, acuminatam formantibus. — *Caput* minimum, thorace multo angustius; in uno sexu collo lato, in altero sexu collo coarctato. — *Rostrum* ejus, quam opinor feminam, filiforme, porrectum, corpore triplo longius, subcapillare; ejus vero, quem opinor esse masculum, breve, longitudine thoracis, ad basin latum, sensim ad apicem attenuatum, fere subulatum. — *Oculi* laterales, globosi, prominuli. — *Thorax* elytris dimidio angustior, suborbicularis, dilatato-rotundatus, deplanatus, antice truncatus, postice marginatus, leviter bi-sinuatus. — *Scutellum* mediocre, triangulare. — *Elytra* oblonga, sublinearia, thorace fere duplo latiora, sed illo quadruplo longiora, humeris rectangulatis, subelevatis; supra deplanata, apice rotundata, pygidium vix obtegentia. — *Abdomen* deplanatum, segmentis duobus basalibus longissimis, arctissime conjunctis, 3 et 4 brevibus, transversis, ultimo aut semi-circulari aut

triangulato. — *Pygidium* nudum, minutum subrotundatum. — *Pedes* validi, antici basi approximati; femoribus compressis, in medio valde dilatatis; tibiis teretibus, inermibus; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato, unguibus brevibus.

Typus: — Curculio Zamiae Thunb., Herbst. — Huc quoque referri posse: Rhynchaen. haustellatus Fabr. et Oliv., Curculio idem Herbst. An. eadem species? Antennae fractae (!) teste Dom. Oliv.

A ἀντλία haustrium, ῥὶν nasus.

(*Divisio* 11a. Brenthides: Rostrum porrectum. Antennae non clavatae, 11 - articulatae. Collum distinctum. Scutellum non observandum. Abdomen segmento 1o et 2o longissimis, arcte junctis, aegre discernendis, 3o et 4o brevissimis, transversis, instructum, ultimo breviusculo, semicirculari. Corpus durum, subcylindricum, elongatum.)

Genus 27. Brenthus. Fabr. et Auctorum. — Curculio Linn.

Character generis: — Antennae breviusculae, extrorsum paullo crassiores; articulis brevibus, subobconicis, apice truncatis, ultimo oblongo-ovato.

Rostrum porrectum, saepius longissimum.

Caput elongatum, antice posticeque angustatum, collo infixum.

Thorax plerumque elongato-ovatus.

Elytra elongata, linearia.

Tarsi subdilatati, spongiosi.

Descriptio: — *Corpus* longissimum, subcylindricum antice angustius, porrectum, rigidum, alatum. — *Antennae* rectae, in mare prope medium, in femina juxta basin rostri insertae, vix rostro una cum capite longiores, extrorsum paullo crassiores, validiusculae, 11-articulatae: articulo 1 majore, obconico, reliquis brevibus, subobconicis, apice truncatis, ultimo oblongo-ovato. — *Rostrum* porrectum, sae-

longissimum; in uno sexu, (quem opinor esse masculum) plerumque longius, extrorsum attenuatum, apice iterum nonnihil dilatatum; in altero sexu, seu in femina, brevius, subulatum. — *Caput* porrectum, elongatum, antice et plerumque etiam postice attenuatum, collo distincto. — *Oculi* parvi, laterales, rotundati, plus minusve prominuli. — *Thorax* antice et postice truncatus, saepe longissimus, angustus, in aliis elongato-ovatus, in aliis conicus, lateribus leviter rotundatus, supra in plerisque sulco dorsali profundo impressus, in nonnullis modice convexus, integer. — *Scutellum* nullum l. potius haud distinctum. — *Elytra* elongata, linearia, thorace haud latiora; paullulum vero longiora, dorso saepius depressa, apice interdum in masculis maxime attenuata l. appendiculata. — *Pedes* elongati, validi, antice longiores; femoribus clavatis, interdum dentatis, ante apicem subtus emarginatis; tibiis anticis in plerisque uncis duobus apice armatis; tarsis subtus evidenter spongiosis, articulo penultimo paullo latiore, bifido, ultimo elongato, clavato, valido, biunguiculato.

Stirps 1ª. — Caput juxta oculos plus minusve elongatum, obconicum l. posterius maxime angustatum.

Manip. 1ˢ. Femora mutica.

Typus: — Br. sesqui-striatus nob. — obtusus Fabr.

Manip. 2ˢ. Femora dentata.

Typus: — Br. canaliculatus Fabr. — congenerici: Br. anchora, volvulus et bidentatus Fabr. — Br. signatus Dalm. Anal.

Stirps 2ª. — Caput conicum l. posterius parum angustatum.

Manip. 1ˢ. Femora mutica.

Typus: — Br. assimilis Fabr. — monilis Fabr. — sulcirostris nob.

Manip. 2ˢ. Femora dentata.

Typus: — Br. planicollis nob.

A βρένθος avis, verisimiliter Tringa pugnax.

Observatio: — „Genus Brenthus Curculionides cum genere Lycto conjungit." Germ. — Habitat, ni fallor, sub cortice arborum.

Subgenus A. Hormocerus nob. — Brenthus Auctor.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, in mare prope medium, in femina juxta basin rostri insertae, moniliformes, extrorsum vix l. parum crassiores; articulo ultimo breviter ovato. — *Rostrum* elongatum, cylindricum, porrectum, in masculo nonnunquam brevissimum, dilatatum; mandibulis exsertis, arcuatis. — *Caput* postice latius, mox pone oculos tamquam caesurato truncatus. — *Thorax* elongato-ovatus, supra saepius sulco dorsali profundo instructus. — *Elytra* elongata, linearia, apice obtuse rotundata. — *Tarsi* subcylindrici, subtus haud spongiosi, articulo penultimo bilobo, reliquis haud latiore.

Typus: — Br. reticulatus Fabr. — congenerici: Br. bisulcatus Fabr. — Br. coronatus Germ.

A ὅρμος monile, κέρας cornu.

Observ. — Generi Brenthi valde affine, caput vero postice latius, mox pone oculos abrupte truncatum, et tarsi haud spongiosi. Subgeneri Arrhenodis etiam propinquum, antennae autem moniliformes et tarsi cylindrici, differentias pro constituendo proprio subgenere praebent evidentes.

Subgenus B. Arrhenodes Steven.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres, infra basin rostri insertae, subfiliformes, subtenues, articulis inferioribus obconicis subaequalibus, exterioribus saepissime subcylindricis, raro oblongo-ovatis, ultimo elongato, subacuminato. — *Rostrum* porrectum, in masculis brevissimum, difforme, dilatatum, mandibulis validis, exsertis; in feminis elongatum, filiforme. — *Caput* breve, postice latiusculum, saepius mox juxta oculos abrupte excisum; collo distincto, brevi. — *Elytra* elongata, subcylindrica, convexa, versus apicem paullo angustiora, in plerisque apice subtruncata, dente minuto,

acuto, producto, in paucis apice inermia. — *Tarsis* subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, unguibus validis.

Typus: — Br. septemtrionis Herbst. — congenerici: Br. dispar Auct. — Br. anomaloceps Herbst. — maxillosus Oliv. — mandibularis et truncatus nob.

Ab ἀῤῥενώδης virilis, fortis.

Observ. — Masculorum rostrum breve, mandibulae prominentes et forma antennarum aliquantisper dissimilis, nec non structura totius corporis paullo robustior, hoc subgenus a caeteris distinguit. — Cfr. observationem ad subgenus Hormocerus.

Subgenus C. Nemorhinus Stev.

Adumbratio: — *Antennae* longae, tenues; articulis plerisque subaequalibus, inferioribus subobconicis, exterioribus cylindricis, in masculo versus apicem, in femina juxta basin rostri insertae. — *Rostrum* porrectum, saepe longissimum, subfiliforme, in masculis ad insertionem antennarum arcuatum, in feminis vero rectum, at in quibusdam thorace vix longius. — *Caput* subconicum, collo elevato adnexum. — *Thorax* oblongo-ovatus, supra convexus, in plerisque laevis, in paucis sulco dorsali instructus. — *Elytra* elongata, linearia, cylindrica, in quibusdam apice subtruncata, dente valido, recurvo, in aliis apice obtusa, dente nullo, in aliis spina recta, acuminata armata. — *Pedes* elongati, validi, antici longiores, robustiores; tibiis anticis interdum intus in medio dente obtuso-armatis; tarsis longis, spongiis distinctis, articulo penultimo bilobo.

Typus: — Br. myrmecophaga Herbst. — Ejusdem subgeneris sunt: Br. laevis et duplicatus Germ. — Br. militaris Oliv. — Br. cylindricornis Fabr. — Br. (Nemorh.) nanus, gracilis et filicornis nob.

Manip. 1ᵃ. Femora mutica.

Manip. 2ᵃ. Femora dentata.

A νῆμα filum, ῥὶν nasus.

Observ. — Antennae longae, filiformes, characterem evidenter distinctum a ceteris cognatis praebent.

Genus 28. **Taphroderes** nob. — **Brenthus** Fabr., Lund, Dumér.

Character generis: — Antennae breviusculae, extrorsum paullulum crassiores; articulis brevibus, apice truncatis, ultimo oblongo, obtuso.

Rostrum breviusculum, porrectum.

Caput valde elongatum, anterius angustatum.

Thorax valde elongatus, anterius angustior, in utroque latere fovea magna, lata, profunde impressus.

Elytra elongata, cylindrica, apice introrsum singulatim oblique truncata.

Tibiae brevissimae, compressae.

Tarsi compressi, haud spongiosi.

Descriptio: — *Corpus* valde elongatum, cylindricum, porrectum, durum, alatum. — *Antennae* rectae, longitudine capitis una cum rostro, prope basin rostri insertae, in femina, quam puto, validae; (marem enim haud vidi) articulo 1° majore breviter obconico, 2 - 10 brevibus, nodosis, apice truncatis, exterioribus gradatim perparum crassioribus, praesertim tribus ultimis, 11° oblongo, obtuso. — *Rostrum* longitudine capitis, porrectum, subteres, nonnihil arcuatum, mandibulae breves, arcuatae, corneae, intus uni-dentatae. — *Caput* porrectum, anterius elongatum, angustatum, postice sub-emarginatum, collo distincto, elevato-affixum. — *Oculi* mediocres, sub-rotundati, depressi. — *Thorax* valde elongatus, anterius angustior, basi apiceque truncatus, supra convexus, in utroque latere fovea magna, lata, oblonga, pro receptione femorum anticorum impressus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* thoracis basi haud latiora et illo paullo longiora, convexa, cylindrica, apice introrsum singulatim oblique truncata. — *Abdomen* subtus versus apicem subretusum, lateribus impressum, ad recipienda femora intermedia et postica. — *Pedes* breviusculi, validi, antici longiores; femoribus clavatis, compressis, muticis; tibiis brevissimis, latius-

culis; tarsis elongatis, crassis, compressis, haud spongiosis, unguibus validis.

Typus: — **Taphroderes brevipes** nob. — congenericus: **Brenth. foveatus** Fabr.

A τάφρος fossa, δέρη collum.

Observ. — Structura aliena capitis, thoracis atque pedum hoc genus a genere **Brenthi** distinguere videtur.

(*Divisio* 12ª. **Belides**: Rostrum subporrectum. Antennae non clavatae, 11-articulatae. — Collum indistinctum. Scutellum manifestum. Abdomen segmentis quinque subaequalibus instructum. Corpus minus durum, angustum, naviculare.)

Genus 29. **Belus** nob. — **Lixus** Fabr., Oliv. —

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues, extrorsum paullo crassiores; articulis distantibus, ultimo acuto.

Rostrum subtenue, cylindricum, paullulum arcuatum.

Oculi sub-rotundati, magni, prominuli.

Scutellum breve, transversum.

Elytra longissima, sublinearia, apice acuminata, recurvata.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, alatum. — *Antennae* rectae, subarcuatae, mediocres, in medio rostri insertae, capite simul cum thorace fere longiores, subtenues, articulis 11, omnibus remotis: 1° longiusculo, subclavato, oculos non attingente, 2° brevissimo, subrotundato, 3° et 4° longioribus obconicis, 5-10 brevioribus, sensim crassioribus, ultimo longiore, subovato, acuminato. — *Caput* postice elongatum. — *Rostrum* subporrectum, cylindricum, subtenue, parum arcuatum. — *Oculi* laterales, sub-rotundati, magni, maxime prominuli. — *Thorax* parvus, latitudine longior, antice angustior, truncatus, postice bisinuatus, lobo scutellari paullulum producto, lateribus vix rotundatus, supra convexus, dorso postice longitrorsum impresso. — *Scutellum*

breve, transversum. — *Elytra* longissima, sublinearia, semicylindrica, antice singulatim angulato-producta, thoracis basin fere obtegentia; versus apicem angustata, acuminata, recurvata, supra convexa, dorsi disco longitudinaliter impressa. — *Pedes* mediocres; femoribus incrassatis; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis, sub-muticis; tarsi tibiis paullo breviores, subtus spongiosi, articulo 1o oblongo, subobconico, 2o subtrigono, 3o paullo latiore, bilobo, ultimo valde elongato, valido, clavato, biunguiculato.

Typus: — Lixus semipunctatus Fabr., Oliv. Hujus generis unam tantum speciem vidi.

A βέλος sagitta, ensis.

Observ. — Statura fere Lixi. A Brentho et Cylade mox dignoscitur Belus thorace minus elongato, nec remoto, nec postice constricto l. bi-partito.

Sectio 2da. Antennae articulis 9, 10.

(*Divisio* 13a. Cylades: Rostrum porrectum. Antennae clavatae, 10-articulatae; clava longissima, linearis, uni-articulata.)

Genus 30. Cylas Latr., Oliv., Germ., Billb. — Brenthus Fabr., Herbst.

Character generis: — Antennae pone medium rostri insertae; articulo ultimo longissimo, clavam maxime elongatam linearem formante.

Rostrum subporrectum, teres, validum.

Caput postice elongatum.

Oculi approximati, globosi magni.

Elytra oblongo-ovata, fornicata.

Pedes longiusculi, subtenues.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, convexum, alatum. — *Antennae* porrectae, validae, pone medium rostri insertae; capite una cum thorace fere longiores, 10-articulatae: 9 intimis brevissimis, transversis, coarctatis, ultimo

longissimo, piloso, clavam lineari-elongatam, cylindricam praecedentibus simul sumtis duplo longiorem formante. — *Rostrum* subporrectum, teres, vix longitudine thoracis, validum, parum arcuatum. — *Caput* postice elongatum, conico-cylindricum. — *Oculi* approximati, globosi, prominuli, magni. — *Thorax* elongatus, pone medium profunde constrictus, binodosus, nodo antico multo majore, ovato, valde convexo, postico parvo, subcylindrico. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* oblongo-ovata, fornicata, antice thoracis basi duplo latiora et illo duplo longiora, apice rotundata, anum occultantia; humeris oblique angulatis, callo elevato. — *Abdomen* ovatum, segmentis duobus basalibus latis, sub-inflatis, 3 et 4 brevissimis, transversis, planis, ultimo semi-circulari. — *Pedes* longi, subtenues; femoribus versus apicem valde clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice muticis; tarsis elongatis, sub-angustatis, articulo penultimo bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Cylas formicarius Oliv.

An ab κύλα cavitas oculorum, quae palpebris subest?

Observ. (Cyl. formicar. Oliv.? — Species sub hoc nomine in Museis occurrens, elytra coerulescentia gerit, sed verus Cyl. formicarius, secundum descriptiones auctorum, elytra obscure castanea habet, quare diversam credo. Maris antennae clava ovali, obtusa, feminae clava elongata, cylindrica — Germ.)

(*Divisio* 14a. Ulocerides: Rostrum porrectum, sub-subulatum. Antennae breves, crassae, 9-articulatae; clava parva, subsolida. Corpus subcylindricum, angustum.)

Genus 31. Ulocerus nob. — Dalm. — Brenthus Dej.

Character generis: — Antennae breves, crassae, deformes, squamatae, clava parva, subsolida.

Rostrum breve, porrectum, sub-subulatum.

Caput ante et pone oculos elongatum.

Thorax elongatus, subcylindricus.

Elytra longissima, linearia.

Descriptio: — *Corpus* valde elongatum, subcylindricum, squamatum, alatum; statura generis Brenthi. — *Antennae* longitudine capitis una cum rostro, versus apicem rostri insertae, rectae, crassae, squamatae, interdum etiam deformes; articulis saepe dilatatis, irregularibus: articulo 1° subobconico, 2° brevi, transverso, 3° duplo longiore, 4 - 8 brevibus; clava minuta, ovata, subsolida. — *Caput* porrectum, valde elongatum, subcylindricum. — *Rostrum* porrectum, aut obtuse subulatum, teres aut cylindricum. — *Oculi* minuti, laterales, rotundati, sub-prominuli. — *Thorax* longus, subcylindricus, antice angustior, truncatus, et intra apicem constrictus, postice profunde sinuatus, angulis productis, rotundatis. — *Scutellum* haud distinctum. — *Elytra* longissima, linearia, cylindrica, versus apicem supra tuberculata, ipsa apice subtruncata, erosa, angulis productis, squamosis. — *Pedes* elongati, validi; femoribus muticis, subclavatis, interdum sub-linearibus; tibiis saepe compressis, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo cordato, bilobo, unguibus validis.

Typus: — Ulocerus lacerosus Dalm. — congenerici: Uloc. immundus et squalidus Dalm.

Ab οὖλος crispus, κέρας cornu.

Observ. — Genus quoad habitum Brentho simillimum, sed antennae tantum 9-articulatae, quorum ultimus claviculam inarticulatam constituere videtur; indumentum Uloceri omnino alienum. —

(*Divisio* 15ª. Oxyrhynchides:*) Rostrum elongatum, deflexum, filiforme. Antennae breves, porrectae,

*) Oxyrhynchum potius forsitan ex ratione linguae Graecae, duas in syllabas ρ connectendum non nolui; at vero, cum vulgo uno tantum ρ connexi sint Brachyrhynchus, Pachyrhynchus, Otiorhynchus, Cryptorhynchus, hanc redupplicationem, ne confusionis cujusdam caussa esset, omisi.

validae, articulis 7 ante clavam; clava subsolida, apice spongiosa, forte articulos indistinctos includens. Tarsi latiusculi, spongiosi. Corpus oblongum, durum.)

Genus 32. **Oxyrhynchus** nob. — Calandra Fabr.

Character generis: — Antennae porrectae, breviusculae, validae; articulis 1 - 7 breviter - obconicis, subaequalibus, 8o et 9o clavam formantibus; articulo basali magno, oblongo, scyphiformi, ultimo minuto, spongioso, retractili.

Rostrum elongatum, subfiliforme, arcuatum.

Oculi laterales, sub capite fere connexi.

Thorax oblongo - ovatus, basi bisinuatus.

Scutellum elongatum.

Elytra oblongo - ovata, convexa, versus apicem callosa.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, subcylindricum, durum, alatum. — *Antennae* porrectae, longitudine rostri, validae, extrorsum perparum crassiores, ad apicem capitis juxta rostri basin insertae; 9 - articulatae, setulis brevibus adspersae: articulis plurimis subnodiformibus, apice obtusatis, 1o 3tioqne longioribus, obconicis; clava minuta, biarticulata, articulo 1o rigido, oblongo - subcylindrico l. scyphiformi, 2o minuo, spongioso, obtuso, retractili. — *Rostrum* longitudine thoracis una cum capitis, ante antennarum insertionem crassius, deinde cylindricum, subfiliforme, arcuatum, deflexum. — *Oculi* laterales, magni sub capite fere conniventes, subdepressi. — *Thorax* oblongus, anterius angustior, subcoarctatus, lateribus paullo rotundatus, antice truncatus, lobis ocularibus exiguis, postice bi - sinuatus, supra parum convexus, subtus integer. — *Scutellum* oblongo subovatum. — *Elytra* elongata, thorace fere latiora et illo triplo longiora, convexa, sublinearia, versus apicem callosa, ipso apice rotundata, abdomen obtegentia. — *Pedes* graciles, antice reliquis longiores, validi, basi approximati; femoribus subcylindricis; tibiae teretes, ad apicem inflexae, interno unco valido, horizontali, corneo, armatae; tarsis subtus spongiosis; arti-

culo penultimo latiori, bilobo, ultimo valido, biunguiculato, unguibus brevibus, gracilibus.

Typus: — Calandra discors Fabr. — unica species mihi visa.

Ab ὀξύῤῥυγχος acutum habens rostrum.

Observ. — Hocce genus generi Sipali maxime affine; antennae vero non fractae, scutellum elongatum, tarsi latiores et subtus spongiosi.

(*Divisio* 16a. Brachycerides: Rostrum breve, crassum, plerumque deflexum, in paucis porrectum. Antennae breves, validae, articulis 7 l. 8 ante clavam; clava parva, subsolida, apice spongiosa, forte articulos indistinctos includens. Tarsi angustati, setosi, haud spongiosi. Corpus breviter ovatum, durum, apterum.)

Genus 33. Episus Billb. — Brachycerus Fabr., Oliv., Thunb., Herbst.

Character generis: — Antennae porrectae, breves, rigidae, in apice rostri insertae; articulis 8 et 9 clavam minutam, angustam formantibus.

Rostrum porrectum, breviusculum.

Oculi parvi, subdepressi.

Thorax elongatus, sublinearis.

Elytra elongato-subquadrata, apice retusa.

Descriptio: — *Corpus* exasperatum, elongatum, postice obtusatum, antrorsum sensim angustatum, apterum. — *Antennae* apici rostri insertae, porrectae, breves, lineares, crassiusculae, hirtae, capite haud longiores; articulis novem tantum conspicuis: 1o subturbinato, ad basin nudo, coarctato, 2o et 3o brevissime sub-obconicis, 4-7 multo brevioribus, transversis, sub-perfoliatis; clava minuta, angusta, articulo basali cylindrico, rigido, ultimo arcte connexo, brevissime turbinato, sub-spongioso. — *Rostrum* porrectum, capite paullo longius, crassum, supra deplanatum, apice vix incrassatum, profunde et late emarginatum. — *Caput* porrectum,

elongatum, subcylindricum. — *Oculi* laterales, oblongi, longitudinaliter positi, subdepressi, parvi. — *Thorax* elongatus, sublinearis, basi apiceque truncatus, supra inaequalis. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* connata, rigida, maxime inaequalia, antice thoracis basi paullo latiora, posterius paullatim ampliata, sed illo vix triplo longiora, elongato-subquadrata, apice obtusa, retusa, anum occultantia. — *Abdomen* subtus planum. — *Pedes* breves, validi, antici approximati, postici maxime remoti; femoribus vix incrassatis; tibiis subteretibus, apice muticis; tarsis subcompressis, setosis, haud spongiosis.

Typus: — Brachyc. rostratus Fabr., Oliv., Herbst., Thunb.

Huc quoque adnumeratur: Episus mendosus nob.

Ab ἐπίσος aequalis.

Observ. — Hujus generis, quod a Dom. Billberg primo tam prospere constructum, tota forma corporis alia est, ac Brachyceri. Rostrum et antennae porrectae, non in canalicula rostrali insertae.

Genus 34. Brachycerus Fabr. pluriumque Auctor. — Curculio Linn., Dé Geer, Rossi, Drury.

Character generis: — Antennae arcuatae, in medio rostri in canaliculam arcuatam insertae; clava minuta, subsolida, apice obtusa, sub-acuminata.

Rostrum crassum, deflexum, apice valde incrassatum.

Oculi oblongo-ovati, immersi.

Elytra magna, connata, rigida, fornicata.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, crassum, gibbum, saepissime asperum aut variatim rugosum, inaequale, apterum. — *Antennae* arcuatae, crassiusculae, extrorsum sensim paullo crassiores, pone medium rostri insertae, capite haud longiores, setosae; articulis tantum novem conspicuis: basilari longiore, obconico, 2-8 brevissimis, transversis, contractis, 9o magno clavam ovato-obconicam, externe oblique truncatam, subacuminatam formante, (articulos 10o et 11o forsan includente?). — *Rostrum* breve, valde crassum, de-

flexum, arcuatum, extrorsum valde incrassatum, supra saepius deplanatum, plerumque inaequale; scrobe versus apicem rostri incipiente, profunda, arcuata, ad basin inferam rostri flexa. — *Oculi* laterales, perpendiculares, oblongo-ovati, immersi. — *Thorax* transversus, basi truncatus, apice in medio productus, pone oculos saepius lobatus, in aliis dorso canaliculatus, aut exsculptus, lateribus in spinam angulumve dilatatus, in aliis muticus, lateribus rotundatus, supra modice convexus, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* connata, rigida, fornicata, magna, subgloboso-ovata, in nonnullis ovato-subquadrata, subtus usque ad pedum initium inflexa. — *Pedes* robusti; femoribus vix incrassatis; tibiae angulis duobus apicalibus productae; tarsis validis, compressis, haud spongiosis, articulo ultimo elongato, sublineari, valido, infra saepius concavo, biunguiculato.

Typus: — Brachycerus obesus Auctor. et plures aliae, ad hoc genus pertinentes, jam ante cognitae species.

A βραχὺς brevis, κέρας cornu.

Ordo 2s. GONATOCERI.

Antennae geniculatae; scapus (articulus basilaris) valde elongatus, saepius in canalicula ad latera rostri insertus. Antennae in omnibus clavatae; articuli clavae saepissime arcte connexi.

Legio 1a. Brachyrhynchi. (Curculiones Fabr.) Rostrum plus minusve crassum et deforme, breviusculum, parum arcuatum. Antennae prope apicem rostri saepe juxta sinum oris insertae, 12-articulatae.

Phalanx 1a. Canalicula antennalis seu scrobs infra-ocularis, curvata l. obliqua.

(*Divisio* 1a. Entimides: Rostrum breviusculum, deflexum, teretiusculum, crassissimum, extrorsum valde incrassatum.)

Subdivisio 1a. Corpus brevius, alatum. Humeri angulati, prominuli. Thorax semper pone oculos lobatus.

Genus 35. **Rhigus** Dalm., Germ. — **Curculio** Pallas, Herbst.

Character generis: — Antennae mediocres, parum fractae; articulis funiculi sub-obconicis; clava oblongo-ovalis.

Rostrum breve, valde incrassatum, apice profunde emarginatum, scrobs quam maxime curvata.

Oculi ovati, subdepressi.

Thorax elytris dimidio angustior, subcylindricus.

Elytra ampla; humeri elevato-angulati, prominuli.

Tibiae anticae saepius intus curvatae, apice dente valido acuto armatae.

Descriptio: — *Corpus* suboblongo-ovatum, crassum, durum, majoris magnitudinis, alatum. — *Antennae* thoracis medio vix longiores, pone medium rostri insertae, subtenues, subfractae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, oculos attingente, 2–8 fere aequalibus, subobconicis, apice rotundatis; clava elongata, ovali, subfusiformi, 4-articulata. — *Rostrum* breve, crassum, deflexum, valde incrassatum, apice profunde emarginatum; scrobe subangulata, abrupte subtus flexa. — *Oculi* sublaterales, ovati, subdepressi. — *Thorax* latitudine longior, elytris dimidio angustior, subcylindricus, inaequalis, ad laterum apicem coarctatus, basi bisinuatus, antice in medio late emarginatus, infra pone gulam profunde emarginatus, pone oculos eminenter lobatus. — *Scutellum* breve, subrotundatum, in plerisque subelevatum. — *Elytra* ampla, thorace quadruplo longiora, subovata, convexa, rigida, saepius valde tuberculata, apice breviter mucronata, abdomen obtegentia; humeris valde prominulis, elevato-angulatis. — *Pedes* longiusculi, validi, antici basi approximati; femoribus muticis; in medio incrassatis; tibiae anticae intus curvatae, apice in plerisque unco valido acuto armatae, in aliis subrectae, unco apicali vix perspicuo (estne varietas sexus?),

posteriores rectae, nec apice armatae; tarsis subtus spongiosis, articulo basali subelongato, 2o trigono, penultimo dilatato, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. tribuloïdes Pall. Herbst. Ejusdem generis sunt: Rhig. Schüppelii et atrox Germ. — Rhig. horridus, aesopus, melanozugos, araneiformis et tesserulatus nob.

A ῥῖγος rigor.

Observ. — Hoc genus Entimo propinquum; oculis vero differt obovatis depressis, atque tibiis anticis intus saepius curvatis, ad apicem intus dente acuto armatis. Antennae in generibus Rhigus atque Polydius sunt quidem minus distincte fractae, in parte tamen specierum eorum, signa fere perspicua hujusmodi fractionis inter scapum funiculumque videntur. Tum hoc, cum etiam cetera similitudine generis Entimi haec genera primum initium hujus ordinis ingredi debere putavi, quo tamquam seriem inter Orthoceros et Gonatoceros efficiant.

Genus 36. Polydius Germ.

Character generis: — Antennae longae, subfractae; articulis funiculi obconicis, subaequalibus; clava valde elongata, angusta.

Rostrum breve, crassum, teretiusculum.

Oculi subrotundati, maxime prominuli.

Thorax elytris multo angustior, subquadratus, antice juxta apicem valde constrictus.

Elytra magna, valde convexa, humeri valde prominuli, angulati.

Descriptio: — *Corpus* breviusculum, crassum, durum, alatum. — *Antennae* thoracis basin longitudine superantes, parum fractae, subtenues, juxta medium rostri insertae, 12-articulatae: articulo 1o elongato, clavato, oculos attingente, 2-8 obconicis, subaequalibus, exterioribus sensim paullo brevioribus; clava 4-articulata, elongata, angusta, subcylindrica, apice sub-acuminata, articulis arcte junctis, ultimo aegre discernendo. — *Caput* breve, latum, convexum,

puncto frontali profunde impresso. — *Rostrum* longitudine capitis, subhorizontale, crassiusculum, teretiusculum, apice minus incrassatum, maxime emarginatum, pilis longis, rigidis, ciliatum; scrobe subangulata, lineari, basi rostri pone oculos desinente. — *Oculi* subrotundati, maxime prominuli. — *Thorax* longitudine latior, elytris dimidio angustior, subquadratus, antice juxta apicem valde constrictus, angulis deinde rotundatis, sub-prominulis; basi bisinuatus, supra mediocriter convexus, infra pone gulam late, non vero profunde emarginatus, lobis pone oculos exiguis, subangulatis, non rotundatis. — *Scutellum* triangulatum, acuminatum, depressum. — *Elytra* magna, thoracis basi duplo latiora, subtriangularia, valde convexa, basi singulatim obtuse rotundata, margine laterali in medio sinuato, apice acuminata, abdomen obtegentia; humeris valde prominulis, angulatis, elevatis, subacuminatis. — *Pedes* mediocres, validi; femoribus muticis, in medio paullo incrassatis; tibiis teretibus, rectis, apice non uncinatis; tarsis subtus spongiosis, dilatatis, articulo ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

Typus: — Polydius Stevenii nob. e Brasilia. Una tantum species mihi cognita.

A πολύ-διός generosus, divus.

Observ. — Cum Entimo in multis hoc genus convenit, sed antennis longioribus et clava elongata, subcylindrica, rostro thoraceque supra non canaliculatis praecipue differt.

Genus 87. Entimus Germ., Dejean, Billb. — Curculio Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae mediocres, funiculo 7-articulato, articuli primi insequentibus paullo longiores, subobconici; clava elongata, sub-conica.

Rostrum breve, crassum, angulatum, apice incrassatum.

Oculi subrotundati, aliquantulum prominuli.

Thorax oblongus, elytris multo angustior, supra canaliculatus.

Elytra ampla, subtriangularia; humeri acutangulati, prominuli.

Tibiae subcylindricae, rectae, apice muticae.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, crassum, postice attenuatum, alatum. — *Antennae* longitudine capitis thoracisque, versus apicem rostri insertae, fractae, subtenues, 12-articulatae: articulo 1° elongato, clavato, oculos subattingente, 2° et 3° interdum etiam 4° longiusculis, subobconicis, 4-8 brevibus, apice truncatis, subturbinatis, sensim extrorsum paullo crassioribus; clava elongata, subconica, 4-articulata. — *Rostrum* breve, crassum, angulatum, deflexum, supra in medio canaliculatum, apice valde incrassatum, late et profunde emarginatum, pilis rigidis ciliatum, canalicula dimidiata ab oculis ad medium rostri ducta, utrinque profunde exaratum; scrobe valde curvata, basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, subrotundati, nonnihil prominuli, minuti. — *Thorax* latitudine longior, elytris multo angustior, subcylindricus, anterius subangustior et ad latera apicis nonnihil coarctatus, basi leviter bisinuatus, pone oculos prolixe lobatus, supra convexus, in medio canaliculatus, subtus juxta gulam emarginatus. — *Scutellum* subelongatum, apice rotundatum. — *Elytra* magna, subtriangularia, convexa, versus apicem paullatim declivia, apice ipso interdum spinulosa, anum occultantia; humeris valde prominulis, elevatis, acut-angulatis. — *Pedes* longiusculi, robusti, antici approximati; femoribus muticis, in medio paullo incrassatis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis latiusculis, ciliatis, subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore bilobo, ultimo clavato, biunguiculato. (Nonne pedes in uno sexu pilosi, in altero hirsuti?)

Typus: — Curc. Imperialis Fabr. — Species mihi accuratius cognitae et huc pertinentes: Curc. splendidus Fabr. — nobilis Oliv. — granulatus Linn. I. sumptuosus Fabr.

Ab ἔντιμος spectabilis.

Observ. — Genus habitu satis distinctum, species amplectens maximas et splendidissimas.

Subdivisio 2a. Corpus oblongum, apterum; humeri subrotundati.

Genus 38. Hipporhinus Billb. — Bronchus Germ. Dejean. — Curculio Auct. reliquorum.

Character generis: — Antennae longiusculae, tenues; funiculo 7-articulato, articuli duo basales insequentibus paullo longiores, subobconici, clava ovalis.

Rostrum subelongatum, apice crassius.

Oculi ovati, depressi.

Thorax lateribus aut rotundatus, aut utrinque spinosus, supra modice convexus, tuberculatus, pone oculos lobatus.

Elytra oblongo-ovata, coadunata, rigida, scabra.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, scabrosum, saepius tuberculatum l. spinosum, obscurum, apterum. — *Antennae* ad thoracis basin pertingentes, versus apicem rostri insertae, tenues, fractae, parce setosae, 12-articulatae: articulo 1o elongato, clavato, oculos vix attingente, 2 et 3 longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus apice rotundatis; clava parva, oblongo-ovali, 4-articulata. — *Rostrum* thorace paullo longius, crassum, supra planiusculum, in medio sulcatum l. carinatum, subarcuatum, deflexum, apice subtruncatum, erosum, valde incrassatum, ad basin interdum constrictum, quasi abscissum; scrobe ad apicem incipiente, profunda, parum curvata, in basin rostri subtus exeunte. — *Oculi* laterales, ovati, depressi. — *Thorax* longitudine latitudinem vix superans, lateribus in plerisque rotundatus, in aliis utrinque spinosus, supra mediocriter convexus, tuberculis plurimis obtusis adspersus, in medio canaliculatus, antice late emarginatus, postice truncatus, subtus juxta gulam emarginatus, pone oculos lobatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* coadunata, oblongo-ovata, thorace quadruplo longiora, rigida, saepius tuberculata, spinosa l. exsculpta, apice saepe acuminata, subreflexa, interdum rotundata, abdomine haud breviora; humeris subrotundatis. — *Pedes* longiusculi, subaequales, validi; femoribus muticis, clavatis; tibiis teretibus, anticis paullo arcuatis, intus angulato-dentatis, posticis rectis, submuticis (NB. in Broncho verrucoso in

uno sexu tibiae postice intus valde curvatae). — Tarsorum spongiae distinctae, ciliatae, articulo ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. Rostrum ad basin non abscissum.

Typus: — Curc. pillularius Fabr., Oliv.

Species huc pertinentes: Curc. spectrum Fabr. — nubilosus Billb. — globifer Fabr. — globulifer nob. — nodulosus Fabr. — tribulus Fabr. — spinifer Sparrm. — seriespinosus Billb. — 6-vittatus et rubifer Fabr. — notonchus Wiedem. — albovittis, mamillatus, misumenus, infacetus et turpis nob.

Stirps 2a. Rostrum ad basin quasi abscissum.

Huc adnumerantur: Curc. verrucosus Fabr. — Capensis Fabr. — Hottentottus nob. — Caffer Thunb. Act. Ups. — rugulosus et crispatus Billb. — granulosus Wiedem.

Ab ἵππος equus, ῥίν nasus.

Genus 39. Epirrhynchus nob. — Curculio Sparrm.

Character generis: — Antennae breves; funiculo crassiusculo, articulo basali, obconico, 2-6 brevissimis, perfoliatis, coarctatis, 7o latiore clavam incipiente; clavâ subovata.

Rostrum subelongatum, curvatum, crassum, sulcatum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax transversus, subquadratus, supra modice convexus, juxta oculos lobatus.

Scutellum minutum, apice bifidum.

Elytra oblongo-ovata, inaequalia, apice singulatim obtuse subacuminata, supra convexa.

Unguiculo tarsorum uni-unguiculato.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, inaequale, apterum. — *Antennae* ad thoracis medium non pertingentes, versus apicem rostri insertae, fractae, crassiusculae, 12-articulatae: articulo 1o clavato, oculos non attingente, valido, 2 obconico, 3-7 brevibus, transversis, perfoliatis, coarcta-

tis, gradatim paullo latioribus, 8o multo latiore, clavae adnexo; clava subovata, acuminata, 4-articulata: articulis arcte conjunctis. — *Rostrum* subelongatum, curvatum, crassum, supra sulcatum, versus apicem incrassatum, apice in medio subemarginatum; scrobe profunda, curvata, in basi rostri subtus conjuncta. — *Oculi* laterales, oblongi, immersi. — *Thorax* longitudine fere latior, subquadratus, antice late et profunde emarginatus, postice truncatus, lateribus subrectis, versus apicem jam mox angustior, subcoarctatus, pone oculos valde lobatus, supra perparum convexus. — *Scutellum* minutum, apice bifidum. — *Elytra* oblongo-ovata, antice thoracis basi paullo latiora, versus medium ampliata, thorace quadruplo longiora, apice ipso singulatim obtuse sub-acuminata, subreflexa, supra convexa, praesertim in medio. — *Pedes* validi, antici approximati; femoribus muticis, vix incrassatis; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis, anterioribus unco horizontali, minuto intus instructis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo bilobo, ultimo clavato, crasso, uni-unguiculato.

Typus: — Curc. Argus Sparrm. Act. Holm. unam solummodo speciem vidi.

Ab ἐπίῤῥυγχις curvitas rostri in avibus rapacibus.

Observ. — Antennae crassiusculae, breves, quarum funiculus articulis perfoliatis constat et unguiculo tarsorum uni-unguiculato, hoc genus ab Hipporhino distinguunt, cui praeterea aliquantisper simile est.

Genus 40. Prypnus nob.

Character generis: — Antennae longiusculae, tenues; scapus oculos longitudine superans, tenuis, subclavatus; articulis funiculi obconicis; clava elongata, ovalis.

Rostrum breviusculum, crassum, subteres, supra sulcatum; scrobs infraocularis, flexuosa.

Oculi subrotundati, paullo prominuli.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundatus.

Elytra elongato-ovata, supra convexa, praesertim posterius, humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, obscurum, apterum. — *Antennae* capite thoraceque longiores, versus apicem rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1o supra oculos sese extendente tenui, subclavato, 2 et 3 longiusculis, 4-8 brevibus, omnibus obconicis; clava elongata, angustata, ovali, distincte 4-articulata. — *Rostrum* capite longius, crassum, subdeflexum, supra sulcatum, versus apicem nonnihil incrassatum, subtruncatum; scrobe flexuosa, lineari, non profunda, pone canthum inferum oculorum exeunte. — *Oculi* laterales, aut subrotundati, aut ovati, aliquantulum prominuli. — *Thorax* latitudine longior, antice posticeque truncatus, anterius perparum angustior, lateribus in medio aequaliter rotundatus, supra parum convexus, in medio leviter canaliculatus, juxta oculos non lobatus, subtus integer. — *Scutellum* parvum, triangulatum. — *Elytra* coadunata, elongato-ovata, thoracis basi dimidio latiora et illo quadruplo longiora, basi introrsum conjunctim leviter emarginata, supra parum convexa, posterius declivia, apice aut singulatim obtuse acuminata, aut rotundata; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* longi, antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, anticis intus crenulatis, ad apicem incurvis, unco inflexo, minuto armatis, posterioribus rectis, muticis; tarsis subtus spongiosis, ciliatis, articulo ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Prypnus 5-nodosus nob. e Nov. Hollandia: congenericus: Curc. porculus Sparrm. Act. Holm.

A *πρυπνος* tristis, odiosus.

Observ. — Quaedam est similitudo Hipporhini, sed antennae longiores et magis tenues, thorax pone oculos non lobatus, scutellum parvum, sed distinctum.

(*Divisio* 2a. **Pachyrhynchides:** Rostrum brevissimum, crassum, deflexum, saepius angulatum, apice vix incrassatum. Humeri non angulati. Corpus apterum.)

Cohors 1a. Thorax pone oculos lobis productis.

Genus 41. Cherrus Dalm. — Psapharus nob. olim. — Curculio Oliv.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; scapus capite longior, sublinearis, articulis funiculi sub-obconicis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum breve, crassum, subangulatum, sulcatum.

Oculi subovati, depressi.

Thorax transversus, subpulvinatus.

Elytra subovata, juxta basin coarctata.

Descriptio: — *Corpus* breve, crassum, rigidum, scabrosum, obscurum, apterum. — *Antennae* thoracis basin attingentes, pone medium rostri insertae, fractae, subtenues, 12-articulatae: articulo 1o capite longiore, sublineari, extrorsum sensim perparum incrassato, 2 et 3 longiusculis, 4-8 brevibus, omnibus aut subclavatis, aut subobconicis; clava elongata, angustata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve, crassum, subangulatum, canaliculatum; linea elevata, glabra, apice lata et in medio canalis sita, apice ipso truncatum, emarginatum; scrobe curvata in apice incipiente, extrorsum lata, in oculos protensa. — *Oculi* laterales, subovati, depressi. — *Thorax* longitudine latior, basi truncatus, antice late subemarginatus, pone oculos lobatus, anterius angustior, lateribus rotundatus, supra mediocriter convexus, subpulvinatus, granulosus, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* ovata, rigida, thorace duplo longiora vel magis, supra convexa, antice latitudine baseos thoracis, eique prope adaequata, mox vero juxta basin transversim constricta et coarctata, dein latiora, apice declivia, attenuata, rotundata, abdomen obtegentia. — *Pedes* antici reliquis longiores atque robustiores; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, anticis versus apicem curvatis, intus spinulosis, apice uno horizontali intus instructis; tarsis subtus spongiosis, latiusculis, articulo penultimo bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. infaustus? Oliv. — congenerici: Curc. plebejus Oliv. — Cherrus opatrinus nob. e nov. Hollandia.

A χέῤῥος asper, incultus.

Observ. — Antennae longiusculae, scapus sublinearis capite longior; rostrum canaliculatum, lineaque elevata, glabra, apice lata et in medio canalis posita, thorax pulvinatus hoc genus cum a Pachyrhyncho, tum a Deracantho distinguunt.

Genus. 42. **Deracanthus** nob. — Curculio Fabr., Oliv., Pallas.

Character generis: — Antennae breves, validae; articulo funiculi basali oblongo, reliquis brevibus, transversis, subcoarctatis, crassitudine crescentibus; clava ovata, articulis arctissime connexis.

Rostrum breve, crassum, angulatum, supra subplanum, inaequale.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax transversus, utrinque spinosus.

Elytra breviter ovata; humeri rotundati.

Tarsi elongati, angustati, setosi.

Descriptio: — *Corpus* breve, subovatum, apterum. — *Antennae* ad thoracis medium non pertingentes, pone medium rostri insertae, fractae, validiusculae, parce rigide-pilosae, 12-articulatae: articulo 1o clavato, oculos non attingente, 2o crassiusculo, basi tenui, subobconico, 3-7 brevibus, transversis, aequalibus, subcoarctatis, 3o crassiori, clavae arcte adnexo, basin mentiente; clava ovata, 4-articulata, articulis aegre discernendis. — *Rostrum* breve, vix capite longius, crassum, angulatum, apice subtruncatum, supra subplanum, canaliculatum; scrobs angusta, arcuata, in medio rostri subtus evanescente. — *Oculi* laterales, oblongi, depressi. — *Thorax* longitudine latior, basi truncatus, apice late emarginatus, lobis ocularibus exstantibus, lateribus spina valida armatus, supra parum convexus, subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* triangulare, distinctum. — *Elytra* breviter ovata, antice thoracis basi haud latiora, illo vero quadruplo longiora, angulis humeralibus atque lateribus usque ad apicem rotundata, medio latiora, supra mediocriter

convexa, praesertim posterius, apice subrotundata, anum occultantia. — *Pedes* breves, validi; femoribus muticis, clavatis; tibiis teretibus, extus carinatis, subrectis, anterioribus versus apicem extus dentatis, intus unco minuto, acuto armatis; tarsi tibiis paullo breviores, angustati, setosi, spinosi, subtus haud spongiosi, articulis duobus basalibus longiusculis, subobconicis, penultimo brevi, non bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. spinifex Fabr., l. Curc. inderiensis Pall., Oliv. — nec plures species vidi.

A δέρη collum, ἄκανθα spina.

Observ. — Antennae breves, rostrum angulatum, supra subplanum, inaequale, thorax transversus, utrinque spinosus, scutellum distinctum et tarsi angustati, haud spongiosi, sunt, quae praecipue hoc genus a Cherro et Thylacito distinguunt.

Cohors 2ª. Thorax juxta oculos non lobatus.

Genus 43. Pachyrhynchus Germ. — Somatodes olim. nob.

Character generis: — Antennae breves, validae; articulis duobus basalibus funiculi breviusculis, obconicis, reliquis brevibus, subrotundatis, gradatim crassitudine crescentibus; clava ovata.

Rostrum breve, crassum, angulatum, supra planum.

Oculi rotundati, subprominuli.

Thorax oblongus, convexus, lateribus rotundatus.

Elytra connata, ovato-globosa, valde convexa.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, durum, crassum, apterum. — *Antennae* thoracis medium longitudine non superantes, pone medium rostri insertae, validae, 12-articulatae: articulo 1° longo, clavato, oculos attingente, 2° et 3° breviusculis, obconicis, 4 - 8 brevibus, subrotundatis, apice truncatis, exterioribus sensim crassioribus; clava breviter ovata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum*

longitudine capitis et illo paullo angustius, crassum, angulatum, nonnihil incrassatum, supra planum, in medio impressum, apice ipso subtruncatum, in medio paullo emarginatum; scrobe profunda, arcuata, versus apicem incipiente, jam mox subtus flexa, in basin rostri pone gulam exeunte. — *Caput* exsertum, convexum. — *Oculi* laterales, magni, rotundati, prominuli. — *Thorax* oblongus, antice posticeque truncatus, lateribus aequaliter rotundatus, supra modice convexus, margine postico elevato. — *Scutellum* minutissimum, trigonum. — *Elytra* ampla, connata, ovato-globosa, antice thoracis basi vix latiora, in medio autem valde ampliata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, apice ipso sub-obtuso-acuminata, anum occultantia. — *Pedes* longiusculi, robusti; femoribus clavatis, muticis; tibiis subcompressis, apice intus angulatis, unco minuto, valido armatis; tarsis subtus spongiosis, articulis duobus basalibus trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Pachyrhynchus moniliferus Germ. — unicam speciem conspexi.

A παχὺς crassus, ῥύγχος rostrum.

Observ. — Corpus ovatum, convexum, durum, crassum, rostrum brevissimum, supra planum, tibiae subcompressae, primo adspectu proprium indicant hoc esse genus et ab aliis distinctum.

Genus 44. Psalidium Illig., Germ., Dejean. — Curculio Fabr., Oliv. Herbst.

Character generis: — Antennae mediocres, subcrassae, clava ovata.

Rostrum crassum, subangulatum; per incisuram transverso-arcuatam a fronte subdistinctum.

Mandibulae exsertae, arcuatae, apice subacuminatae; sinistrá intus versus basin dilatata.

Thorax oblongo-subovatus, basi apiceque truncatus, supra mediocriter convexus.

Elytra ovata, convexa.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, duriuscu-n, apterum. — *Antennae* thoracis medium vix attingentes, ne medium rostri insertae, crassiusculae, parce rigide pi-ae, fractae, 12-articulatae; articulo 1° clavato, crasso, ulorum marginem superiorem attingente, 2° longiusculo, sso etiam, 3° paullo minore, obconicis, 4-8 brevibus bperfoliatis, apice truncatis; clava ovata, 4-articulata. — *ostrum* deflexum, breve, crassum, subangulatum, apice bemarginatum, ciliatum, per incisuram transversam arcua-m a fronte subdistinctum; mandibulis exsertis, arcuatis, ice subacuminatis; sinistra intus versus basin dilatata; robe subangulata, profunda, subtus flexa. — *Oculi* latera-s, rotundati, valde prominuli. — *Thorax* latitudine fere ngior, subovatus, antice posticeque truncatus, supra me-iocriter convexus, pone oculos non lobatus, subtus integer. — *letathorax* magnus, nudus, valde conspicuus. — *Scutellum* iinutum: triangulare, depressum. — *Elytra* ovata, latitu-ine duplo longiora, humeris rotundatis, supra convexa, ab-omen obtegentia. — *Pedes* robusti, longitudine subaequales, tici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis apice latatis, subtruncatis, non uncinatis; tarsis subtus spon-osis, pilosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ungue unguiculato.

Typus: — Curcul. maxillosus Fabr. Una solum ecies mihi cognita.

) A ψαλίδιον forficula.

Genus 45. Syzygops nob.

Character generis: — Antennae mediocres, sub-mes; scapus clavatus, oculos longitudine superans; arti-lis basalibus funiculi longiusculis, obconicis, 1° crassius-lo, reliquis brevibus, subnodosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum breve, crassum, subteres, margine apicali cal-o, reflexo.

Oculi subrotundati, in medio frontis locati, fere connexi.

Thorax oblongus, lateribus rotundatus, convexus.

Elytra breviter ovata, versus apicem subattenuata.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, subovatum, apterum. — *Antennae* thoracis basin attingentes, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, 12 articulatae: articulo 1o clavato, oculos superante, 2o et 3o longiusculis, obconicis, illo crassiusculo, 4 et 5 brevibus, subovatis, 6-8 multo brevioribus, subrotundatis l. nodosis; clava oblongo-ovata, 4-articulata, crassiuscula. — *Rostrum* deflexum, longitudine capitis, crassum, subteres, margine apicis calloso, reflexo; scrobe statim subtus flexa, in medio rostri subtus connivente. — *Oculi* majusculi, subrotundati, prominuli, in medio frontis fere connexi. — *Thorax* latitudine fere longior, antice posticeque truncatus, lateribus rotundatus, supra mediocriter convexus, subtus integer. — *Scutellum* haud observari potest. — *Elytra* breviter ovata, in medio basi thoracis plus duplo latiora et illo triplo longiora, supra valde convexa, versus apicem subattenuata, apice ipso rotundata, pygidium tegentia. — *Pedes* mediocres, validi, antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, anterioribus intus paullo curvatis, apice submuticis, tarsis subtus evidenter spongiosis, articulo penultimo cordato, bilobo, ciliato, ultimo mediocri, clavato, biunguiculato.

Typus: — Syzygops Cyclops nob. ex Ins. Bourbon, plures haud vidi.

A σύζυγος conjunctus, ὤψ oculus.

Observ. — Situs oculorum valde insolitus praeter alias differentias peculiare esse Genus indicat.

(*Divisio* 3a. **Brachyderides**: Rostrum subhorizontale, latitudine fere capitis eique contiguum, supra saepius planiusculum, raro teretiusculum, in plerisque breve vel brevissimum, in aliis vero magis elongatum.)

Subdivisio 1a. Corpus saepius brevius, in paucis ovatum l. oblongo-ovatum, apterum; humeri rotundati l. obtusi, non prominuli.

*) Genus 46. Thylacites Germ., Dejean. Cycloderes nob. olim. — Curculio Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae mediocres, validiusculae, rigido-pilosae; articulis funiculi duobus basalibus conicis, reliquis lenticularibus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum brevissimum, crassum, supra planiusculum.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax transversus, suborbiculatus, basi apiceque truncatus.

Elytra oblongo-ovata, convexa.

Pedes simplices, tibiae subrectae.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, plerumque losum, apterum. — *Antennae* ad thoracis basin vix pergentes in apicem rostri insertae, validiusculae, rigide pilo-e, fractae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, oculos attinente, 2° et 3° obconicis, illo longiusculo, 4-8 brevibus, nticularibus, subaequalibus; clava oblongo-ovata, acuminata, -articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capite revius, subdeflexum, crassum, supra subplanum, nonnunuam angulatum, apice subangustius, vix emarginatum; fronte iterdum planiuscula, plerumque convexiuscula; scrobe infraculari, curvata. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* latitudine media haud longior, plerumque suborbiulatus, convexus, antice posticeque truncatus, pone oculos on lobatus, subtus integer. — *Scutellum* vix conspicuum. — *Elytra* oblongo-ovata, antice thoracis basi latiora et illo quaruplo vel etiam quintuplo longiora, modice convexa, apice otundata, abdomen obtegentia; humeris rotundatis — *Pedes* alidi, mediocres, intermedii subbreviores; femoribus incrasatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice latioribus, uncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, setosis, articulis duobus basalibus subtrigonis, penultimo latiore, bilobo, ulno elongato, clavato, biunguiculato.

Stirps 1ma — Rostrum supra planum, subangulatum; ns planiuscula. Oculi valde prominuli.

Typus: — Cycloderes cataractus Sahlb. — coner. Curc. Mus. Hoffm. in litt.

Stirps 2da — Rostrum supra subplanum; frons convexiuscula. Oculi modice prominuli.

A θύλακος saccus et εἶδος facies.

Typus: — Curc. Robiniae Herbst. — congenerici C. fritillum Fabr. pilosus Fabr. l. licinus Herbst — Thylacit. lapidarius et sabulosus Dej. Catal. Thylac. chalcogrammus, umbrinus et lasius nob.

Observatio: — Discrepantiae quidem inter numerosi hujus generis species observantur aliquae, quas tamen pro constituendis propriis generibus non sufficientes judicavi; conatus igitur sum tamquam subgenera proponere species illas, quae notas invicem communes, a reliquis diversas, praebent.

Subgenus A. Cneorhinus nob. Curculio Fabr. Oliv. Herbst. — Thylacites Germ. Dej. — Polydius Megerle, Dej. — Chrysolopus Germ. olim.

Adumbratio: — Antennae breviusculae; articulis funiculi duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis in plerisque nodosis, in ceteris brevibus, apice truncatis; clava ovata, acuminata. — *Rostrum* breve sublatum, supra planum, apice emarginatum; saepius per strigam transverso-impressam a fronte distinctum; frons inter oculos per lineam dimidiatam longitudinaliter impressa. — *Oculi* aut subrotundati, aut suboblongi, longitudinaliter positi, modice prominuli. — *Thorax* brevis, transversus, antrorsum paullo angustior, lateribus parum rotundatus, basi apiceque truncatus, supra modice convexus. — *Scutellum* parvum, triangulare, nonnunquam conspicuum. — *Elytra* oblongo — l. breviter ovata, supra convexa. — *Tibiae* subrectae, muticae.

Stirps 1ma. Antennarum articuli 4-8 breviores, nodosi; clava oblongo-ovata.

Typus: Curc. Barcellonicus Herbst. — Species mihi cognitae et huc quoque pertinentes: Cneorh. misargyrides et ludificator nob. — Curc. prodigus Fabr. l. hispanus Herbst. — Curc. 4-lineatus Eschsch.

Stirps 2a. Antennarum articuli 4-8 longiores, subobconici; clava breviore, ovata, acuminata.

Huc pertinent. Cneorh. pyriformis et exosus nob. ambo e Lusitania.

Stirps 3a. Antennarum articuli 4-8 breviores, nodosi; clava brevior ovata; frons inter oculos linea dimidiata longitudinali non impressa. Oculi parvi, rotundati. Elytra breviter ovata. (olim gen. Philopedon nob.)

Typus: — Curc. geminatus Auct. — Congenerici: — Cur. exaratus Marsh. — Thylacit. albicans Dej. et plures aliae.

A *κνέω* scindo, *ῥίν* nasus.

Observ. — Corpore breviore et thoracis forma diversa hoc subgenus praecipue a genuinis Thylacitidum speciebus distinguitur. —

Subgenus B. Strophosomus Billb. — Curculio Fabr., Gyllenh., Oliv. — Thylacit. Germ. Dej. — Bryssus Megerle. —

Adumbratio — *Antennae* longiusculae, subtenues; scapo clavato, oculorum marginem superiorem attingente; articulis 1, 2 funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, subrotundatis; clava oblongo-ovata, acuminata. *Caput* breve, latum, saepius sulco l. canalicula frontali longitudinaliter impressum. — *Rostrum* breve, latum; basi saepius per strigam transversam a capite distinctum, apice profunde emarginatum — *Oculi* globosi, valde prominuli. — *Thorax* brevis, transversus, antrorsum angustior, lateribus paullo rotundatus, antice posticeque truncatus, supra convexus. — *Scutellum* vix conspicuum. — *Elytra* magna, ovata, convexa. —

Stirps 1ma. *Thorax* basi truncatus. Elytra ovata juxta basin non constricta.

Typus: Curc. Coryli Auctor. — congenerici: Thylac. (Strophos:) crucifrons et illibatus nob.

Stirps 2a. Thorax basi sub-bisinuatus. Elytra oblongo-ovata, pone basin constricta, margine baseos elevato.

Ad hanc stirpem referuntur. Strophosom. crucifer Billb. — Curc. pilosellus Gyllenh. — Curc. limbatus Fabr.

Stirps 3a. Rostrum capiti contiguum, nec per strigam transverso impressam a fronte distinctum, caeterum ut in stripe 1ma.

Huc adnumerantur. Curc. squamulatus Gyllenh. — Curc. lanuginosus Creutz.

Stirps 4a. Antennae magis tenues, articuli funiculi 3-7 oblongi, subobconici; caeterum ut in stirpe 3a.

Huc pertinent: Thylacit. (Strophosomus) Porcellus nob. e Tauria — Curc. afflatus Creutz.

Stirps 5a. Antennae dimidii corporis longitudine, graciles, articuli funiculi oblongi, subclavati. Rostrum latum, supra planum, canaliculatum. Tibiae anticae intus crenulatae, apice spina horizontali instructae.

Typus: — Leptocerus roborosus Germ.

Ab *στροφή* versura, flexio, *σῶμα* corpus.

Observ. — Stirpes 4a et 5a generi Thylacitis genuini affines, antennis vero paullo longioribus, subtenuibus, parce pilosis, articulo 3o longiore, rostro latiori, thorace transverso discrepant. A Subgenere Cneorhini quoque differunt: Antennis paullo longioribus, magis tenuibus, rostro latiore, oculis magis prominulis. A subgenere Sciaphilo diversi etiam sunt scapo breviore, oculis magis prominulis, rostro latiore.

Subgenus C. Sciaphilus nob. — Curculio Fabr. Gyllenh., Payk. Thylacites Germ. Dej. —

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, subtenues; scapo elongato, clavato, oculos saepius superante; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, obconicis; reliquis sensim brevioribus, subnodosis; clava oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* vix longitudine capitis et illo paullo angustius, supra sub-planum, apice emarginatum. — *Oculi* parvi, subrotundati, parum prominuli. — *Thorax* parvus, saepius transversus, raro suboblongus, supra convexus, lateribus nonnihil rotundatus. — *Elytra* magna, oblongo-ovata, supra convexa, praesertim posterius, apice subacuminata. — *Pedes* longiusculi, subtenues; femoribus valde clavatis, saepius dentatis; tibiis rectis, apice muticis — *Corpus* oblongo-ovatum

Stirps 1ª. — Thorax longitudine latior.

Typus: — Curc. muricatus Fabr., Gyllenh. — congenerici: Thylacites smaragdinus Dej. — pumilus nob. l. Omias oblongus Dej.

Stirps 2ª. — Thorax latitudine longior — (an hujus generis?)

Typus: — Curc. carinula Oliv. l. Thylacit. asserculatus Germ.

A σκιὰ umbra et φίλος amicus.

Observat. — A Subgenere Cneorhini differt: antennis paullo longioribus, magis tenuibus, scapo oculos saepius superante, nec rostro per strigam transversam a fronte distincto, oculis parum prominulis.

Subgenus D. Brachysomus nob.

Adumbratio: — Antennae sublongae, minus tenues, setosae; scapo versus apicem paullatim incrassato, paullo recurvato, oculos superante; articulis funiculi duobus basalibus longiusculis, subobconicis, illo crassiore, reliquis brevibus, aequalibus apice truncatis; clava ovata. — *Rostrum* brevissimum, supra planum, laeve; scrobe brevi, valde curvata, basi profunda, apice obsoleta. — *Oculi* rotundati, subdepressi. — *Thorax* parvus, brevis, lateribus nonnihil rotundatus, supra parum convexus. — *Elytra* ampla, connata, supra valde convexa, subglobosa. — *Corpus* minoris magnitudinis, breviter ovatum, apterum.

Typus: — Curc. hirsutulus Gyllenh. — huc etiam pertinet: Brachyrhynchus setiger Megerle.

A βραχὺς brevis σῶμα corpus.

Observatio: — Ex antennis paullo crassioribus, scrobe minus perspicua, rotundiore forma corporis, colligo, hocce genus a subgenere Sciaphili, quocum caeterum valde congruit, esse distinguendum.

Subgenus E. Blosyrus nob. Curc. Oliv.

Adumbratio: — *Antennae* breves, crassiusculae, setosae; scapo clavato, extrorsum valde incrassato, oculorum medium attingente; articulo funiculi basali longiusculo, crasso;

subclavato, 2° obconico, reliquis brevioribus, subrotundatis; clava ovata, acuminata. — *Rostrum* brevissimum, longitudine capitis et illo non angustius, subtetragonum, crassum, apice emarginatum; per strigam transverso-impressam a fronte distinctum; scrobe infra-oculari, profunda, arcuata. — *Oculi* rotundati, valde prominuli. — *Thorax* transversus, basi apiceque truncatus, lateribus aequaliter rotundatus, modice-convexus. — *Elytra* magna, valde convexa, subglobosa — *Pedes* breviusculi, validi; femoribus parum incrassatis, muticis.

Typus: Curculio Oniscus Oliv. — huc etiam Thylacit. (Blosurus) Hystrix nob.

A βλοσυρός, adspectu terribilis l. gravis.

Observatio. — Antennae breves, crassiusculae, elytra subglobosa, corpus rigidum hocce subgenus a reliquis praecipue distinguunt.

Subgenus F. Platycopes. Dalm. — Curculio Sparrm.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae; scapo thoracis marginem anticum tangente, crasso, latere interiore versus apicem valde dilatato, complanato; funiculo subtenui; articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis aequalibus, subrotundatis: clava oblonga; ovali, acuminata. — *Rostrum* breve, ad basin latitudine capitis eique contiguum, versus apicem angustius, late emarginatum, supra planum; per strigam transversam, angulatam, a fronte distinctum, in medio linea longitudinali profunde impressum. — *Oculi* rotundati, valde prominuli. — *Thorax* longitudine duplo latior, antice posticeque truncatus, lateribus parum rotundatus, supra modice convexus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* connata, rotundato-ovata, supra convexa.

Typus: — Curc. argyrellus Sparrm. Act. Holm. 1785. Unam tantum speciem conspexi.

A πλατύς latus, κώπη manubrium, remus.

Observ. — Scapus satis elongatus, latus, interius valde dilatatus, rostrum supra planum, per strigam transversam, angulatam a fronte distinctum, causa nobis fuerunt, cur hoc

subgenus a Strophosomo, cui praeterea est simile, distinguamus.

**) Genus 47. Herpisticus Germ.

Character generis: — Antennae mediocres, minus tenues; scapus oculos attingens: articulis primis funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, subturbinatis, ultimo clavae adpresso; clava oblonga, acuta.

Rostrum breve, crassum, supra planum, canaliculatum; scrobs curvata, percurrens.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax brevis, lateribus antrorsum sensim angustatus, angulis posticis sub-acutis.

Scutellum distinctum, triangulare.

Elytra oblongo-ovalia.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, in feminis paullo latius, apterum. — *Antennae* thoracis medium vix longitudine superantes, versus apicem rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, oculi medium attingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 8° paullo crassiore, clavae adnexo et illam quasi incipiente; clava oblonga, ovali, angusta, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis ejusque fere latitudine, crassum, parallelepipedum, supra planum, canaliculatum, apice profunde emarginatum; scrobe profunda, curvata, ab apice ad angulum inferum oculi percurrente. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli, majusculi. — *Thorax* latitudine postica paullo brevior, basi apiceque truncatus, antrorsum angustior, angulis posticis subacutis, supra parum convexus, subtus integer. — *Scutellum* distinctum, obtuse trigonum. — *Elytra* oblongo-ovalia, basi truncata, thorace non latiora, sed illo quadruplo longiora, pone medium latiora, supra convexa, dorso planiuscula, apice obtuse rotundata, pygidium tegentia. — *Pedes* longiusculi, validi, antici longiores; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, anticis arcuatis, posticis subrectis, omnibus intus crenulatis, apice interiore unco armatis; posticis extus versus apicem penicillatis; tarsis longiusculis, latis, subtus spongiosis, articulis 1, 2 sub-

trigonis, tertio dilatato, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Herpist. laesicollis Germ. plures species haud vidi.

A ἕρπω l. ἑρπύζω, serpo, repo.

Observatio: — Quoad habitum generi Brachyderis propinquum, diversum vero antennis brevioribus atque crassioribus, canalicula antennali magis deflexa, thorace postice subangulato tibiisque apice uncinatis. —

Genus 48. Brachyderes nob. — Curculio Fabr., Gyllenh. — Naupactus Megerle, Dej. — Thylacites Germ., Billb.

Character generis: — Antennae graciles, thorace longiores; scapus ultra oculos extensus; articulus 2s funiculi plerumque 1mo longior, reliqui breviores, omnes obconici; clava angusta, ovalis.

Rostrum brevissimum, crassum, supra subplanum; scrobs parum curvata, non profunda,

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax brevis, lateribus rotundatus.

Elytra oblonga sub-ovata.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, angustum, laeve, muticum, apterum. — *Antennae* valde elongatae, versus apicem rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1o longissimo, clavato, se erigente ultra oculos, 3o plerumque paullo longiore quam 2s, 4-8 brevibus, omnibus subobconicis; clava ovali angusta, acuminata, 4-articulata. — *Caput* exsertum, subconvexum. — *Rostrum* brevissimum, vix capite longius, eoque paullo angustius, crassum, subaequale, supra subplanum, interdum in medio late, non vero profunde impressum, apice parum emarginatum; scrobe parum curvata, brevi, non profunda, versus marginem oculi evanescente. — *Oculi* laterales, rotundati, raro suboblongi, prominuli. — *Thorax* brevis, longitudine fere latior, basi apiceque truncatus, anterius paullo angustior, lateribus pone medium rotundatus, supra parum convexus, subtus integer. —

Scutellum minutum vel etiam nullum. — *Elytra* thorace sextuplo longiora, oblongo-ovata l. elongata, antice thoracis basi non latiora, pone basin paullatim ampliata, apicem versus denuo angustiora, supra convexa, dorso interdum subplano, anum obtegentia. — *Pedes* longiusculi, validi, subaequales; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice muticis; tarsis latis, subtus spongiosis; articulis 1, 2 subtrigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. incanus Auctorum. — Species, quas cognosco et huc etiam referuntur: Curc. lusitanicus Fabr. — C. gracilis, equestris et illaesus Schneid. — Brachyd. opacus et leucophaeus nob.

A βραχὺς brevis, δέρη collum.

Observ. — A genere Leptoceri, cui affine, praecipue differt: corpore aptero, scutello vix ullo, humeris semper rotundatis. Scrobs etiam brevis, sed saepius apice obsoleta, parum curvata et ad medium oculi vergens apparet, unde dubium oritur, utrum huic an secundae phalangi hoc genus aptius esset inserendum.

Subgenus Eusomus: Germ. — Eusomatus Dej.

Adumbratio: — *Antennae* graciles, capite thoraceque longiores; scapo clavato, oculum superante; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, aequalibus, reliquis paullo brevioribus, omnibus subobconicis; clava ovali, angusta. — *Rostrum* breve crassum, subteres; scrobe subtus flexa, obsolete continuata. — *Oculi* rotundati, prominuli. — *Thorax* latitudine medii vix longior, antice posticeque truncatus, lateribus rotundatus. — *Scutellum* aut minutum, triangulare, aut nullum. — *Elytra* ovalia, convexa. — *Pedes* longiusculi; femoribus clavatis, saepius denticulatis; tibiis teretibus, apice muticis; tarsis minus latis, articulis 1mis longiusculis, subtrigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo parum clavato, biunguiculato. — *Corpus* oblongum, dense squamosum, apterum.

Typus: — Eusom. Ovulum Illig. Germ. — congenerici: Brachyd: (Eusom.) piliferus et virens nob.

Ab εὖ bene, apte, σῶμα corpus.

Observatio: — Corpus semper dense squamosum, articulus antennarum tertius haud secundo longior, quaedam formae scrobis diversitas, atque tarsi paullo longiores et angustiores, praecipue mihi videntur hoc subgenus a genere Brachyderis posse distinguere.

Subdivisio. 2a. — Corpus elongatum l. oblongum, plerumque alatum; humeri plus minusve angulati l. prominuli.

Genus 49. Leptocerus nob. Germ. (Iphius nob. olim.) Curculio Fabr., Oliv. — Thylacites Dej. — Naupactus Dej., Meg.

Character generis: — *Antennae* graciles, in plerisque longissimae, in nonnullis mediocres; scapus oculos superans, clavatus; articulus 2us funiculi duplo longior 1o, reliqui breves, omnes obconici; clava elongata, angusta l. oblongo-ovata.

Rostrum breve, subangulatum, supra planum, in medio canaliculatum; scrobs infra-ocularis curvata.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax forma variat: saepissime breviter subconicus, in aliis subrotundatus, in nonnullis pulvinatus.

Elytra aut oblonga aut breviter ovata; humeri plerumque angulati, in nonnullis subrotundati.

Pedes antici elongati, validi; femora saepius magna, valde incrassata; tibiae anticae plerumque intus crenulatae, apice valde curvatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum aut ovatum, saepissime alatum, raro apterum. — *Antennae* in plerisque longissimae, maxime tenues, in nonnullis mediocres, subtenues, versus apicem rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1o elongato, clavato, sese ultra oculos erigente, 2o brevi, 3o valde elongato, sequentibus sensim brevioribus, cylindrico-obconicis; clava aut elongata, angusta, aut oblongo ovali,

acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve, crassum, subhorizontale, longitudine capitis, quo paullo angustius, subangulatum, supra deplanatum, in medio linea longitudinali profunda, impressa notatum, apice emarginatum; scrobe lineari curvata, pone canthum inferum oculorum desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, valde prominuli. — *Thorax* aut subrotundatus, in nonnullis pulvinatus, aut breviter subconicus, antice truncatus, in plerisque postice plus minusve bi-sinuatus, angulis posticis acutis; in aliis postice vero truncatus, subtus integer; lobis ocularibus caret. — *Scutellum* mediocre, triangulare, in paucis haud distinctum. — *Elytra* partim subovata, antice subtruncata, subelevata, partim oblongo-ovata l. tantum ovata, antice singulatim rotundata, anum occultantia; si prius: humeri obsolete rotundati; si posterius: oblique angulati. — *Pedes* antici elongati, robusti; femoribus muticis, saepius magnis, valde incrassatis; tibiis anticis plerumque intus spinulosis l. crenulatis, apice curvatis, intus unco horizontali armatis; in nonnullis intus muticis, subrectis, apice non uncinatis; tarsis subtus spongiosis, articulo 1° elongato, 2° trigono, penultimo latiore, bilobo, unguiculari, valido, biunguiculato.

Stirps 1a. — *Antennae* longissimae, maxime tenues; clava oblongo-ovata. — *Thorax* subrotundatus, pulvinatus, postice truncatus. — *Elytra* subovata, antice saepius subtruncata, subelevata, in nonnullis singulatim subrotundata; humeris vix angulatis, obsolete rotundatis. — *Femora* antica saepius magna, valde incrassata; tibiis anticis intus crenulatis l. spinulosis, apice valde curvatis, uncinatis. — *Corpus* oblongo-ovatum, interdum apterum.

Typus: — Curcul. longimanus Fabr., Oliv. — congenerici: Leptoc. aulacus et Sitona durius Germ. et species quinque indescriptae e Brasilia.

Stirps 2a. — *Antennae* longissimae, maxime tenues; clava angustata, valde elongata. — *Thorax* plerumque antice angustior, lateribus rotundatus, supra convexus; in aliis subrotundatus, pulvinatus, in omnibus postice plus minusve bisinuatus. — *Elytra* oblongo-ovata, antice singulatim rotun-

data; humeris oblique angulatis. — *Femora* antica magna, valde incrassata; tibiis anticis intus crenulatis, l. spinulosis, apice valde curvatis, uncinatis. — *Corpus* plerumque subelongatum, in aliis oblongo-ovatum, alatum.

Typus: — Curc. rivulosus Fabr., Oliv. — congener.: Leptoc. pithecius et illotus Germ. — Curc. rubiginosus Fabr. — Leptoc. polliger, institor, obliteratus et deses nob.

Stirps 3a. — *Antennae* longae, thoracis tamen basin parum superantes, maxime tenues; clava angusta, valde elongata. — *Thorax* antice angustior, lateribus rotundatus, supra convexus, postice modice bisinuatus. — *Elytra* ovata, antice singulatim rotundata; humeris oblique angulatis. — *Femora* antica modice incrassata; tibiis anticis subrectis, intus non, crenulatis, nec apice uncinatis. — *Corpus* subovatum, alatum.

Typus: — Leptoc. stauropterus Germ. — Naupactus aurichalceus Dej. et species quinque indescriptae e Brasilia.

A λεπτὸς tenuis, κέρας cornu.

Observ. — Genus hocce Brachydero est affine, differt vero, corpore saepius alato et scutellato, pedibus plerumque robustioribus, tibiis anticis saepissime intus spinulosis l. crenulatis, apice curvatis atque uncinatis. — Species huic generi adplicatae, saepe forma et habitu valde dissimiles, in omnibus autem antennae elongatae, graciles, et funiculi articulus secundus, sequentibus duplo longior, structura rostri et oculorum eadem.

Subgenus Plectrophorus nob.

Adumbratio: — *Antennae* longae, maxime tenues; scapo longissimo, arcuato, subclavato, thoracem fere attingente; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, 4-8 brevibus, omnibus obconicis; clava oblongo-ovali, acuminata. — *Rostrum* breve, capite paullo angustius, supra subplanum, apice late et profunde rotundato-emarginatum; scrobe percurrente, lineari, sensim subtus flexa. — *Frons* latiuscula, convexiuscula; occiput paullo elongatum. — *Oculi* majusculi, suboblongi, valde prominuli. — *Thorax* brevis subcylindricus, versus apicem angustior, basi apiceque truncatus. —

Elytra elongata, sublinearia; humeris obtuse angulatis. — *Tibiae* anticae intus crenulatae, intermediae intus versus apicem calcare longo armatae, omnibus apice muticis.

Typus: — Leptocer. (Plectroph.) Lutra nob. ex America meridionali: — plures species haud vidi.

A πληκτροφόρος calcaria ferens.

Observ. — Quamvis 3ius antennarum articulus secundo haud longior et tibiae pedum intermediorum insolito modo armatae exstent, tamen ob similitudinem habitudinalem totius insecti, ut etiam capitis formam, hoc, ut puto, merito tamquam subgenus sub Leptocero, proposui.

***) Genus 50. **Cyphus** nob. Germ. (Cyrtomon nob. olim.) Curculio Fabr., Oliv. — Chlorima Dejean.

Character generis: — Antennae validiusculae; scapus clavatus, saepius oculos superans; articulus 2s funiculi 1mo longior, 3 - 7 sensim breviores, omnes obconici; clava oblongo-ovata.

Rostrum breve, crassum, supra planum, in medio linea impressa notatum.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax postice bisinuatus, in medio supra saepius deplanatus.

Scutellum minutum, triangulare.

Elytra oblongo - ovata, basi singulatim rotundato-producta, posterius saepius gibba; humeri oblique angulati, subelevati.

Tarsi latiusculi, articulis 1, 2 subtrigonis.

Descriptio: — *Corpus* elongato-ovatum, alatum. — *Antennae* saepe thoracis basin attingentes, in nonnullis paullo brevioribus, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulus 1s elongatus, clavatus, oculos interdum superans, 3s 2o longior, 4 - 8 paullatim breviores, omnes obconici, in paucis subrotundati; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite paullo longius sed illo etiam paullo angustius, subhorizontale, supra in medio linea longitudinali impressa notatum, apice profunde

emarginatum, ciliatum; scrobe juxta canthum oculi inferum desinente, curvata, laevi. — *Oculi* laterales, rotundati, valde prominuli. — *Thorax* latitudine longior, antice truncatus, postice modice bisinuatus, anterius angustior, lateribus nonnihil rotundatus, supra saepius in medio deplanatus, subtus integer. — *Scutellum* minutum, triangulare, immersum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo quintuplo longiora, antice singulatim in medio rotundato producta, supra pone medium saepius gibba, apice aut rotundata, aut in spinam rectam, acuminatam producta, anum occultantia; humeris oblique-angulatis. — *Pedes* validi, antici paullo longiores, basi approximati; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis subcompressis, anticis arcuatis, intus crenulatis, apice, praesertim in altero sexu, unco minutissimo armatis; tarsis subtus distincte spongiosis, latiusculis, ciliatis, articulis duobus basalibus trigonis, subaequalibus, penultimo dilatato, bilobo, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Stirps 1a. — Antennae thoracis basin attingentes, articulus tertius secundo fere duplo longior, 4-8 sensim breviores, omnes obconici.

Typus: — Curc. gibber Fabr. — congener.: Cyph. argillaceus et inhalatus Germ. — Curc. Diadema Fabr. — Cyphus pudens nob.

Stirps 2a. — Antennae pone medium thoracis pertingentes, articulo 2o brevissimo, 3o elongato-obconico, 4-8 brevissime-obconicis.

Typus: — Curc. 16 punctatus Fabr. — congen.: Cyph. Varnhageni Germ. — Cyph. Germari de Winthem. — Cyph. figuratus nob.

Stirps 3a. — Antennae ut in stirpe 2a, sed articulis 4-8 subrotundatis.

Typus: — Cyphus gloriandus nob.

A κυφός curvus, gibbosus.

Observatio: — Generi Leptoceri hoc affine, sed corpore crassiore, antennis brevioribus, pedibus anticis parum elongatis atque tarsorum articulo 1o haud elongato distinguitur.

Subgenus A. Platyomus Sahlb. — Cyphus Germ., Curculio Fabr., Oliv., Herbst. — Chlorima Dejean.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres, crassiusculae; scapo elongato, extrorsum sensim valde incrassato; articulus 2us funiculi 1o longior, 3-7 sensim breviores, omnes subobconici; clava parva, oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* breve, valde crassum, subporrectum, supra longitudinaliter profunde excavatum; scrobe brevi, ante oculos desinente, curvata, profunda, marginibus tumidis. — *Oculi* semi-globasi, parvi, valde prominuli. — *Thorax* subconicus, anterius paullo angustior, postice profunde bisinuatus. — *Elytra* subovata, antice singulatim rotundato-producta, in plerisque supra gibbosa, apice acuminata; humeris aut spina horizontali extensis, aut obtuse-angulatis, subelevatis.

Stirps 1a. — Scapus subarcuatus; clava antennarum oblongo-ovata. Scutellum parvum, triangulare.

Typus: — Cyphus cultricollis Germ. vel Platyom. nodipennis Sahlb. — congen.: Cyph. piscatorius Germ. — Thylacit. 7-maculatus Dej. — Cyphus (Platyom.) perlepidus nob.

Stirps 2a. — Scapus subrectus; clava antennarum elongato-ovata. Scutellum oblongum, antice angustatum, posterius rotundato-ampliatum.

Typus: Curc. niveus Fabr., Oliv. — nec plures species vidi.

A πλατὺς latus, amplus, ὦμος humerus.

Observ. — Statura et facie fere simile generis Cyphi genuini, forma autem antennarum, rostri aliorumque membrorum diversa.

Subgenus B. Compsus nob. — Cyphus Germ. — Curculio Fabr., Oliv., Herbst. — Chlorima Dejean.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae; scapo oculos superante, crassiusculo, sublineari, basi tamen magis tenui; articulus secundus funiculi basali paullo longior, se-

quentes successive breviores, omnes sub-obconici; clava oblongo-ovali. — *Rostrum* breve, crassiusculum, subporrectum, versus apicem longitudinaliter supra excavatum, apice profunde-triangulariter emarginatum; scrobe brevi, curvata, ante oculos desinente. — *Oculi* subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* subcylindricus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bisinuatus, juxta apicem nonnihil constrictus. — *Scutellum* oblongum, antice angustatum, posterius rotundato-ampliatum. — *Elytra* oblongo-ovata, antice singulatim rotundato-producta, thoracis basin sub-obtegentia, dorso subplano, versus apicem saepe gibbosa. — *Corpus* oblongo-ovatum, alatum. — *Tibiae* omnes apice intus unco horizontali valido armatae.

Stirps 1a. — Elytra apice sub-obtusa.

Typus: — Cyph. acrolithus Germ. — congener.: Curc. elegans Oliv. — Curc. clarus Fabr.

Stirps 2a. — Elytra apice acuta, divergentia.

Typus: — Cyphus (Compsus) canus nob.

A κομψός elegans, venustus.

Observatio: — Habitu et statura simile quidem generi Eustalis, sed oculi, scrobs atque scapus antennarum aliter constructi.

Subgenus C. Oxyderces nob. — Curculio Fabr., Oliv.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae; scapo clavato, sese super oculos extendente; articulis funiculi duobus basalibus longiusculis, obconicis, 3-7 brevibus, nodosis; clava oblongo-ovata. — *Rostrum* breve, capite paullo angustius, subporrectum, supra in medio valde impressum, canaliculatum, apice profunde emarginatum, ciliatum; scrobe brevi, curvata, ante oculos desinente. — *Oculi* rotundati, valde prominuli. — *Thorax* anterius angustior, postice profunde bi-sinuatus, supra in medio planus. — *Scutellum* elongatum, lineare, apice rotundatum. — *Elytra* elongata, antice singulatim rotundato-producta, supra plana, apicibus singulatim valde acuminata et divergentia; humeris oblique angulatis,

subelevatis. — *Tibiae* teretes, anteriores subarcuatae, apice intus unco valido horizontali armatae. — *Corpus* oblongum, alatum.

Typus: — Curcul. cretaceus Fabr. nec plures species vidi.

Ab ὀξυδερκής acri oculorum acie praeditus.

Observ. — Habitu hoc subgenus haud dissimile Compsi, antennae vero aliter constructae, scapus clavatus, articuli antennarum 4-8 subrotundati.

Genus 51. Hadropus nob.

Character generis: — Antennae breviusculae; scapus oculos attingens; articulo basali funiculi brevi, 2° longiusculo, 3-7 paullo brevioribus, omnibus obconicis; clava oblongo-ovalis.

Rostrum planum, in medio canaliculatum; scrobs percurrens, valde arcuata, subtus flexa.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax subconicus, postice bisinuatus.

Elytra convexa, basi singulatim rotundato-producta, posterius gibbosa, apice obtusa.

Tibiae rectae, crassiusculae, apice muticae.

Descriptio: — *Corpus* breviter ovatum, alatum. — *Antennae* thoracis medium attingentes, infra medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos attingente, recto, clavato, 2° breviusculo, 3° duplo longiore, 4-8 denuo brevibus, omnibus obconicis; clava oblongo-ovali, apice sub-obtusa, 4-articulata. — *Rostrum* breve, sub-horizontale, crassiusculum, supra planum, in medio impressum, canaliculatum, apice profunde et late rotundato-emarginatum, ciliatum; scrobes profundae, lineares, arcuatae, in medio rostri subtus evanescentes. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine longior, subconicus, antice truncatus, postice bisinuatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* minutum, triangulare, depressum. — *Elytra* thorace duplo latiora et illo quadruplo longiora, sub-ovata, antice singulatim pro-

ducta, subangulato-rotundata, supra convexa, praesertim posterius, anum occultantia; humeris oblique angulatis. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis rectis, validis, ad apicem latioribus, apice subtruncatis, omnino muticis; tarsis crassis, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ciliato, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Hadrop. nubiculosus nob. e Brasilia — nec plures species vidi.

Ab ἁδρὸς crassus, ποῦς pes.

Observatio: — Genus vix rite determinatum, sed aliud, cui apte inseri queat, non adest; generi Cyphi affine, sed antennae multo breviores, clava illarum brevior, oculi minus prominuli, tibiae rectae, crassiusculae.

Genus 52. Phaedropus nob. — Curculio Fabr., Oliv. — Chlorima Dej.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; articulo basali funiculi brevi, crassiusculo, 2o longiusculo, 4-8 brevibus, omnibus obconicis; clava oblongo-ovalis.

Rostrum breve, crassiusculum, angulatum, in medio late canaliculatum; scrobe valde arcuata.

Oculi majusculi, subrotundati, parum prominuli.

Thorax subcylindricus, postice bisinuatus, pone oculos lobatus.

Elytra oblonga, apice singulatim producto-acuminata; humeri obliqui, angulatim extensi.

Tibiae intus crenulatae, apice unco valido armatae.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, alatum. — *Antennae* longitudine capitis una cum thorace, infra medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1o oculos attingente, clavato, 2o brevi, crassiusculo, 8o longiusculo, 4-8 brevibus, omnibus obconicis; clava oblongo ovali, 4-articulata. — *Rostrum* capite paullo longius et angustius, modice crassum, subarcuatum, angulatum, supra in medio impressum l. late canaliculatum, apice ciliatum, pro-

funde emarginatum; scrobes valde arcuatae, subtus flexae, in basin rostri subtus conniventes. — *Oculi* majusculi, laterales, subrotundati l. potius breviter ovati, parum prominuli. — *Thorax* latitudine longior, subcylindricus, antice late emarginatus, postice leviter bisinuatus, supra convexus, lobis pone oculos obtuse angulatis, productis; subtus late et profunde emarginatus. — *Scutellum* triangulare. — *Elytra* thorace duplo latiora et illo quadruplo longiora, supra, praesertim posterius, convexa, versus apicem sensim attenuata, declivia, apice singulatim producta, acuminata, spinulis dehiscentibus; humeris oblique angulatim extensis. — *Pedes* validi, basi approximati, antici paullo longiores; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis intus crenulatis, apice unco valido, horizontali armatis, anticis intus curvatis; tarsorum articulis omnibus subtus spongiosis, 1, 2 trigonis, penultimo lato, bilobo, ciliato, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. candidus Fabr. l. Curc. tomentosus Oliv. — hunc unum tantum vidi.

A φαιδρωπὸς qui hilari est vultu.

Observ. — Habitu fere Leptoceri stirpi 3ae simile, distinguitur tamen antennis brevioribus, lobis thoracis pone oculos productis, humeris obliquis, angulatim extensis.

****) Genus 53. Eustales nob. — Eustalis Germ. — Phaops Sahlb. — Curc. Oliv. — Brachyrhinus Billb.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus oculos attingens, clavatus; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, 3-7 brevibus, omnibus subobconicis; clava elongata, ovalis.

Rostrum capite longius, supra subplanum, apice profunde emarginatum; scrobs curvata, versus marginem inferum oculi desinens.

Oculi oblongi, longitudinaliter positi, modice prominuli.

Thorax postice sub-marginatus, bisinuatus.

Scutellum oblongum, majusculum.

Elytra oblongo-ovata, antice in medio singulatim rotundata, posterius valde convexa; humeri oblique angulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, alatum. — *Antennae* vix capite una cum thorace longiores, versus apicem rostri insertae, subtenues, subinfractae, 12-articulatae: articulo 1o oculos attingente, clavato, subarcuato, 2o et 3o longiusculis, illo minore, 4-8 paullo brevioribus, omnibus subobconicis; clava elongata, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* saepius capite fere duplo longius, sed illo angustius, subhorizontale, subteres, supra subplanum, in plerisque subcarinatum, versus apicem nonnihil incrassatum, apice ipso profunde triangulariter emarginatum, ciliatum; scrobe lineari, curvata, pone inferum oculi canthum desinente. — *Oculi* laterales, oblongi, longitudinaliter positi, modice prominuli. — *Thorax* latitudine fere longior, antice subtruncatus, postice bisinuatus, submarginatus, anterius angustior, lateribus parum rotundatus, supra modice convexus, pone oculos perparum l. haud lobatus, subtus obsolete l. haud emarginatus. — *Scutellum* longiusculum, apice rotundatum, majusculum. — *Elytra* oblongo-ovata l. subelongata, thoracis basi dimidio latiora, sed illo quadruplo longiora, antice in medio singulatim rotundata, thoracis basin subobtegentia, supra, praesertim posterius, convexa, anum occultantia; humeris obliquis, obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, subaequales, validi; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis anticis subarcuatis, intus crenulatis, apice angulato-dentatis, posticis apice mox dilatatis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulis 1o 2o oblongo trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Eust. pentachordius Germ. l. Phaops Thunbergi Sahlb. — Ejusdem generis sunt: Eust. adamantinus Germ. — Eustales leucogaeus Germ. l. Phaops albugo Sahlb. — Curc. religiosus Oliv.

Ab εὐσταλής bene instructus.

Observ. — Generibus Diaprepis et Exophthalmi valde affine hocce genus, sed antennae magis tenues atque

si fere angustiores et aliae quidem minus essentiales diffe-
ntiae.

Genus 54. Exophthalmus nob. — Curc. Fabr. Oliv. — Chlorima Dej.

Character generis: — *Antennae* mediocres; sca-
s oculos attingens; articulis 1^{is} funiculi brevibus, obconi-
i, 3-7 multo brevioribus, lenticularibus; clava oblongo-
ata, acuminata.

Caput pone oculos elongatum.

Rostrum longiusculum, basi supra subplanum, apice fere
ncavum, late emarginatum.

Oculi semiglobosi, valde prominuli.

Thorax anterius angustior, lateribus rotundatus, postice
isinuatus, angulis posterioribus subacuminatis.

Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundato-pro-
ducta, thoracis emarginaturas replentia; humeri obtuse an-
ulati, subelevati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, alatum. — *An-
tennae* longitudine capitis una cum thorace, versus apicem
ostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: arti-
ulo 1° elongato, basi tenui, versus apicem sensim valde
ncrassato vel clavato, oculos attingente, 2° et 3° brevibus,
ubobconicis, 4-8 multo brevioribus, lenticularibus, sub-
otundatis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. —
Caput pone oculos elongatum, subcylindricum. — *Rostrum*
pite longius, declive, basi supra subplanum, apice im-
essum, fere concavum, late, non vero profunde emargina-
m, ciliatum, nonnihil incrassatum; scrobe profunda, cur-
ta, sensim subtus flexa, in medio rostri subtus eva-
scente. — *Oculi* laterales, semiglobosi, valde prominuli. —
Thorax latitudine fere longior, anterius angustior, truncatus,
stice distincte bisinuatus, lateribus rotundatus, angulis
sterioribus subacuminatis, supra modice convexus, subtus
eger. — *Scutellum* rotundatum, immersum. — *Elytra* ob-
ngo-ovata, thoracis basi dimidio latiora et illo vix qua-
uplo longiora, supra modice convexa, basi singulatim ro-

fundato-producta, thoracis emarginaturas implentia, apice acuminata, anum obtegentia; humeris obtuse angulatis, subelevatis. — *Pedes* longiusculi, validi; femoribus clavatis, muticis; tibiis subteretibus, anticis versus apicem arcuatis, unco horizontali acuto, minuto intus instructis; omnibus intus parce spinulosis, apice jam mox dilatatis; tarsis longis, latis, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. 4-vittatus Oliv. — duae species adhuc indescriptae, mihi visae.

Ab ἐξόφθαλμός qui oculis est prominentibus.

Observ. — Affine Generi Callizoni, sed rostrum praecipue et caput aliter constructum atque tarsi longiores. A Genere Diaprepis, cui habitu simillimum, differt oculis magis prominulis, rotundatis, rostro supra apice subimpresso, concavo, nec carinato, capite pone oculos magis elongato, elytris antice singulatim rotundato-productis.

Genus 55. Diaprepes nob. — Polydrusus Germ. — Chrysolopus Billb. — Chlorima Dej. — Curculio Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae longiusculae; scapus versus apicem paullatim incrassatus, oculos attingens; articulus secundus funiculi primo duplo longior, reliqui breviores, omnes obconici; clava elongata, ovalis.

Rostrum longiusculum, subteres, supra carinatum, apice late, sed non profunde emarginatum, paullo incrassatum.

Oculi saepius ovati, modice prominuli.

Thorax anterius angustior, supra modice convexus.

Elytra oblongo-ovata, supra valde convexa; humeri elevati, obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* elongato-ovatum, alatum. — *Antennae* longitudine capitis thoracisque, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1o elongato, versus apicem paullatim incrassato, oculos attingente, 3o duplo longiore quam 2o, sequentibus quinque brevioribus, omnibus obconicis; clava oblongo-ovali, 4-arti-

culata. — *Rostrum* capite longius, subhorizontale, subteres, supra carinatum, apice late, non vero profunde emarginatum, ciliatum, nonnihil incrassatum; scrobe curvata, juxta canthum oculi inferum desinente. — *Caput* pone oculos subelongatum, subconicum. — *Oculi* laterales, ovati, modice prominuli, majusculi. — *Thorax* latitudine fere longior, antice truncatus, lateribus in medio parum rotundatus, anterius angustior, basi interdum leviter bisinuatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* distinctum, rotundatum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi dimidio latiora et illo quadruplo longiora, supra valde convexa, posterius ad suturam plerumque subgibba, l. potius subcarinata, apice praesertim in altero sexu, acuminata, anum tegentia; humeris elevatis, obtuse angulatis. — *Pedes* longi, validi, subaequales; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, anticis intus arcuatis, crenulatis l. spinulosis, apice angulato-dentatis; tarsi tibiis parum breviores, lati, subtus spongiosi, articulis 1, 2 subtrigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo elongato, clavato, valido, biunguiculato.

Stirps 1ª. — Thorax postice truncatus.

Typus: — Curc. Spengleri Fabr. — congenerici: Diap. Comma nob. — Curc. Rohrii Fabr.

Stirps 2ª. — Thorax postice leviter bisinuatus, in medio sublobatus.

Huc pertinent: Curc. 4-lineatus Oliv. — Curc. affinis Fabr. — Diaprepes aurarius, circumdatus et elegantulus nob.

A διαπρεπής decorus, elegans.

Observ. — Generi Exophthalmi valde affine, differt vero articulis funiculorum longioribus, subobconicis, oculis subovatis minus prominulis, rostro supra carinato, non concavo, capite pone oculos minus elongato. A Genere Eustalis, cui quoque est affine, differt, antennis longioribus atque paullulum validioribus, pedibus etiam longioribus tarsisque magis dilatatis.

Subgenus Prepodes nob. — Curculio Fabr., Oliv., Herbst.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres; scapo oculos attingente, sensim incrassato; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, 3 - 7 brevibus, omnibus obconicis; clava oblonga, ovali, acuminata. — *Rostrum* capite paullo longius, sublineare, supra subplanum vel perparum convexum; scrobe curvata, juxta inferum oculi canthum desinente. — *Oculi* laterales, rotundati. — *Thorax* basi sub-bisinuatus, anterius angustior, supra parum convexus. — *Elytra* oblongo-ovata, supra minus convexa, apice acuminata; humeris oblique angulatis, nonnunquam prominulis, haud elevatis. — *Pedes* validi, antice paullo longiores, tibiis anticis subarcuatis, apice angulato-dentatis, omnibus saepius interne crenulatis; tarsis elongatis, latis, subtus spongiosis. — *Corpus* elongato-ovatum, elegans, alatum.

Stirps 1a. — Rostrum lineare, latiusculum, supra subplanum, utrinque linea impressa. Oculi modice prominuli.

Typus: — Curc. vittatus Fabr. — Huc etiam refertur: Curc. impressus Fabr.

Stirps 2a. — Rostrum apice subincrassatum, supra subconvexum, in medio leviter carinatum. Oculi valde prominuli.

Typus: — Diaprep. (Prepodes) sejugatus nob. ex Insula St. Domingo. *

A πρεπώδης decorus.

Observ. — Quoad habitum Generis Diaprepis genuinis speciebus simile, antennarum vero oculorumque atque rostri forma differentias prebet perspicuas.

Genus 56. Ptilopus nob. — Curculio Fabr., Oliv., Thunb. — Entimus et Brachyrhinus Billb. — Menoetius Dej.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; articulis funiculi obconicis; exterioribus sensim paullo brevioribus; clava oblongo-ovalis:

Rostrum subteres, apice parum emarginatum; scrobs subrecta, versus inferum oculi marginem protensa.

Oculi majusculi, modice prominuli, subrotundati.

Thorax antrorsum multo angustior, supra modice convexus.

Elytra elongata l. oblongo-ovata, acuminata.

Pedes elongati, tibiae plerumque arcuatae, subtus ciliatae, posticae in masculis saepius pone basin unidentatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum l. oblongo-ovatum, alatum. — *Antennae* thoracis basin fere superantes, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, versus apicem incrassato, oculos attingente, 2-8 obconicis, exterioribus sensim brevioribus; clava oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite paullo longius, lineare, subdeflexum, subteres, apice haud incrassatum, parum arcuatum, nonnihil emarginatum; scrobe subrecta, aliquantulum curvata, pone canthum oculi inferum desinente. — *Oculi* majusculi, in paucis oblongi, in plerisque rotundati, modice prominuli. — *Thorax* antrorsum multo angustior, basi in plerisque truncatus, raro bisinuatus, supra modice convexus, subtus late sed non profunde emarginatus. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum. — *Elytra* oblongo-ovata l. elongata, thoracis basi in plerisque paullo, in paucis vix latiora, illo vero triplo l. quadruplo longiora, supra convexa, versus apicem attenuata, acuminata, in nonnullis mucronata; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* elongati, validi; femoribus muticis, in medio parum incrassatis; tibiis teretibus, subtus ciliatis, plerumque arcuatis, posticis in masculo saepius pone basin valido dente intus instructis; tarsis latis, spongiis distinctis, ciliatis, unguibus validis.

Stirps 1ª. — Rostrum subelongatum. Oculi oblongi. Thorax latitudine fere longior, subtriangularis, basi bisinuatus, angulis posticis acutis. Elytra elongata, thoracis basi haud latiora, saepius versus apicem gibba, subcompressa, apice ipso mucronata. Tibiae in masculis intus granulatae, posticae rectae.

Typus: — Curc. aurifer Fabr., Oliv.

Stirps 2ª. — Rostrum breviusculum. Oculi rotundati. Thorax latitudine brevior, basi subtruncatus, antror-

sum multo angustior. Elytra oblongo-ovata, thoracis basi dimidio fere latiora, apice ipso sub-acuminata; humeris obtuse angulatis. Tibiae posticae in masculo valde arcuatae, pone basin dente valido intus armatae.

Typus: — Curc. curvipes Fabr., Oliv. — congenerici: Curc. valgus Fabr. l. C. Castilianus Herbst. — Ptilop. villosipes et memnonius nob.

A πτίλον penna, πούς pes.

Observ. — A Genere Cratopi, cui maxime est affine, distinguitur: articulis funiculorum obconicis, subaequalibus, scrobe subrecta, aliquantulum curvata, elytris basi subtruncatis, humeris obtuse rotundatis, femoribus anticis muticis, minus crassis. Sic etiam subgeneri Prepodi, cui praeterea simile, antennis brevioribus, humeris non prominulis, tibiis aliter constructis, dissimile est.

Genus 57. Cratopus Dalm. — Curculio Fabr., Oliv. — Lixus Fabr. — Leptocerus et Tanymecus Germ. — Menoetius Dej.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; scapus clavatus, oculos superans; articulis funiculi basalibus longiusculis, obconicis, 3-7 brevissime obconicis, paullatim brevioribus; clava oblonga, ovalis.

Rostrum breviusculum, crassum, lineare, supra subplanum; scrobs infra-ocularis, subarcuata, profunda.

Oculi majusculi, sub-oblongi, parum prominuli.

Elytra oblongo-ovata l. ovata, basi junctim paullo emarginata; humeri antrorsum prominuli.

Pedes robusti; femora antica magna, valde incrassata, dentata.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, interdum ob-ovatum, alatum. — *Antennae* longiusculae, subtenues, versus apicem rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° basi tenui, sub-flexuoso, apice clavato, sese supra oculos extendente, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 sensim brevioribus, brevissime obconicis; l. subturbinatis, clava oblonga, ovali l. subfusiformi, acuminata, 4-articulata. —

Rostrum in aliis capitis longitudine, in aliis paullo longius, lineare, crassum, supra planiusculum, apice subemarginatum; scrobe lineari, profunda, subarcuata, infra oculos desinente. — *Oculi* majusculi, laterales, sub-oblongi, parum prominuli. — *Thorax* latitudine baseos vix longior, subtriangularis, interdum subconicus, basi apiceque truncatus, supra convexus, subtus integer. — *Scutellum* mediocre, triangulare, apice rotundatum. — *Elytra* oblongo-ovata l. tantum ovata, thoracis basi vix latiora, illo autem quadruplo longiora; basi junctim introrsum parum emarginata, posterius attenuata, supra modice convexa, anum obtegentia; humeris angulatis, antrorsum prominulis, thoracem subambientibus. — *Pedes* robusti; femoribus anticis magnis, valde incrassatis, versus apicem dente valido armatis; tibiis teretibus subrectis, anticis plerumque intus crenulatis, apice intus angulato-dentatis; tarsis subtus eximie spongiosis, articulis 1,2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Cratop: triangularis Gyllenh. — Huc quoque referri possunt: Lixus melanocephalus Fabr. — Curc. Striga, roralis, — brunnipes et Punctum Fabr. — Cratopus Molitor nob. — Menoetius chrysochloris et marmoreus Dej.

A κρατὺς fortis, ποῦς pes.

Observatio: Generi Leptoceri affine, statura autem aliena et diversa. Femora antica saepius magna, valde incrassata, dentata et elytra basi simul emarginata, humeri antrorsum prominuli, thoracem ambientes, characterem hujus generis facilem praebent. Habitu quidem species valde discrepant, sed characteribus essentialibus conveniunt.

Genus 58 Pachnaeus nob. — (Docorhinus nob. olim)

Character generis: — Antennae mediocres; subtenues; articulis duobus funiculi basalibus subclavatis, reliquis brevibus sub-obconicis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum subteres, versus apicem perparum angustatum, supra sub-planum, in medio linea angusta longitudinalis elevata.

Oculi rotundati, sub-depressi.

Thorax basi bisinuatus, lateribus nonnihil rotundatus.

Elytra oblongo-ovata, convexa, apice acuminata; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, pollinosum, alatum. — *Antennae* longitudine capitis thoracisque, infra medio rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae; articulo 1o elongato, marginem oculorum superiorem attingente, apice clavato, 3o paullo longiori quam 2o, 4-8 brevioribus, omnibus sub-obconicis; clava oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite longius et illo paullo angustius, nonnihil pendulum, subteres, versus apicem perparum angustatum, supra subplanum, in medio linea angusta longitudinali elevata, apice ipso paullulum emarginata; scrobe angusta, lineari, arcuata, pone inferum oculi canthum desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, sub-depressi, parvi. — *Thorax* latitudine baseos vix longior, anterius angustior, antice truncatus, in nonnullis infra oculos exigue angulato-lobatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice plus minusve bisinuatus, infra pone gulam late, sed non profunde emarginatus, supra modice convexus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi dimidio latiora, sed illo fere quintuplo longiora, supra convexa, basi aut singulatim subrotundata, aut lobis thoracis basin obtegentibus producta, apice acuminata, anum occultantia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, validi; longitudine subaequales; femoribus pone medium incrassatis; tibiis subteretibus, rectis, anticis apice vix uncinatis; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulis 1o 2o trigonis; penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato. —

Typus: — Curc. opalus Bosc. in litter. — congenericus: Cyphus litus Germ.

A παχνήεις, pruinosus.

Observatio: — Genus hocce habitu generi Chlorophani (ante n. 15.) simillimum, sed differt antennis fractis atque rostro aliter constructo. — Generi Callizoni

etiam haud dissimile, rostro autem et oculis, diversum. — A Genere Asemi distinguitur: corpore paullo latiore, rostro multo angustiore et paullo longiore, oculis minus prominulis.

Genus 59. Callizonus nob. (Tropirhinus nob. olim.)

Character generis: — Antennae mediocres; articulis primis funiculi longiusculis, obconicis, 3-7 brevibus, turbinatis; clava ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, subteres, supra subconvexum, carinatum, versus apicem utrinque impressum; scrobs infraocularis, arcuata.

Oculi valde prominuli, semiglobosi.

Thorax basi bisinuatus, anterius angustior, supra valde depressus.

Elytra oblongo-ovata, pone scutellum impressa, apice acuminata; humeri subelevati, obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-subovatum, alatum. — *Antennae* fere longitudine capitis una cum thorace, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, oculos attingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, subturbinatis; clava ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite paullo longius, subhorizontale, subteres, supra subconvexum, in medio carinatum, utrinque prope hanc carinam versus apicem impressione oblonga instructum, apice ipso erosum, vix emarginatum, subciliatum; scrobe arcuata, lineari, infra canthum oculi inferum desinente. — *Oculi* laterales, valde prominuli, semiglobosi. — *Thorax* latitudine longior, antice truncatus, postice plus minusve bi-sinuatus, lateribus nonnihil rotundatus, anterius multo angustior, supra late et profunde impressus, subtus integer. — *Scutellum* minutum, apice rotundatum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi dimidio latiora et illo quadruplo longiora, basi singulatim sub-rotundata, apicem versus paullatim angustiora, acuminata, anum occultantia, supra convexa, pone scutellum impressa; humeris sub-elevatis obtuse angulatis. — *Pedes* va-

lidi; femoribus muticis; in medio incrassatis; tibiis teretibus, anticis versus apicem subarcuatis, intus indistincte crenulatis, apice truncatis, intus angulato-dentatis; tarsis subtus spongiosis, ciliatis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. 19-punctatus Fabr. — congenericus: Curc. regalis Fabr.

A καλλίζωνος pulchre cinctus.

Observatio: — Affine generi Diaprepi, sed differt oculis magis prominulis et rotundatis, rostro magis teretiusculo antennisque brevioribus. A subgenere Prepodis, cui quoque associatum, discrepat, rostro multo minore atque carinato, et oculis magis prominulis.

*****) Genus 60. Hypomeces nob. — Curculio Fabr., Oliv., Herbst.

Character generis: — *Antennae* breviusculae; articulis funiculi basalibus, breviter obconicis, reliquis turbinatis, gradatim paullo latioribus; clava oblonga, acuminata.

Rostrum breve, supra planum, profunde canaliculatum.

Oculi subglobosi, valde prominuli.

Thorax subconicus, dorso impressus, anguli postici acuminati.

Elytra elongata, dorso antico sub-depressa, apice subacuminata, humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, pulvere l. squamulis saepius obductum. — *Antennae* ad thoracis medium pertingentes, infra medio rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1o elongato, clavato, oculos attingente, 2-3 breviusculis subobconicis, 4-8 turbinatis, exterioribus sensim crassioribus; clava oblongo-subovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve, subhorizontale, angulatum, supra subplanum, profunde canaliculatum, apice emarginatum; scrobe profunda, lineari, subarcuata, infra oculos desinente. — *Oculi* laterales, subglobosi, valde prominuli. — *Thorax* subconicus, latitudine longior, anterius angustior, truncatus, pone oculos non lobatus, basi bi-si-

nuatus, angulis acuminatis, supra inaequalis, impressus, subtus pone gulam vix emarginatus. — *Scutellum* distinctum, subtriangulare, apice rotundatum. — *Elytra* elongato-ovata, thorace fere quadruplo longiora et illo paullo latiora, dorso antico subdepressa, apice subacuminata, anum occultantia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* validi, antici vix longiores; femoribus incrassatis, muticis, tibiis subteretibus, subrectis anticis apice intus angulato dentatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: Curc. squamosus Fabr. Huc quoque referri possunt: Curc. pulverulentus et unicolor Fabr. — Hypomeces pauper nob.

Ab ὑπομήκης longiusculus.

Observatio: — Generi Anaemeri assimile; huic vero fronte minus lata et palpebra supra oculos producta carente, antennis paullo magis tenuibus atque longioribus, oculis rotundatis, elytris apice haud dehiscentibus, hocce genus dissimile.

Subgenus Dereodus nob.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, validae; scapo clavato, oculos vix attingente; articulis funiculi basalibus breviter obconicis, 3-7 brevibus, apice truncatis, subperfoliatis, coarctatis, crassitudine crescentibus; clava oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* breve, crassum, supra sub-planum, sulco profundo, in verticem usque continuato, exaratum. — *Oculi* oblongi, subdepressi, majusculi. — *Thorax* subcylindricus, basi leviter bisinuatus; lobis infra-ocularibus valde elongatis, acutis instructus, supra parum convexus, cruciatim impressus, subtus pone gulam late emarginatus. — *Elytra* elongata, thorace vix dimidio latiora, pone scutellum subimpressa, apice acuminata; humeris obtuse angulatis.

Typus: — Hypom. (Dereod.) denticollis nob. e Sierra Leona. Nec plures vidi.

A δέρη collum, ὀδούς dens.

Observatio: — Hoc subgenus generi **Hypomeci** valde affine, sed lobis thoracis ab illo praecipue distinguitur.

Genus 61. **Anaemerus** nob. — **Curculio** Fabr., Wiedem.

Character generis: — Antennae breves, validiusculae; scapus oculos non attingens; articulis funiculi duobus basalibus brevibus, subobconicis, 3-7 brevioribus, turbinatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum breve, latum, supra planum, canaliculatum.

Frons latiuscula, supra oculis quasi palpebra producta.

Oculi sub-oblongi, valde prominuli.

Thorax oblongus, antice truncatus, postice sub-bisinuatus, lateribus subrectus, supra depressus.

Elytra elongata, apice mucrone parvo armata.

Tarsi elongati, sub-angustati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, durum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, pone medium rostri insertae, deflexae, validiusculae, fractae, parce et rigide pilosae, 11-articulatae: articulo 1o oculos sub-attingente, versus apicem sensim incrassato, 2o et 3o brevibus, sub-obconicis, 4-8 brevibus, subturbinatis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* breve, latum, longitudine capitis quo vix angustius, subhorizontale, crassum; supra planum, inaequale, saepe canaliculatum, apice ciliatum, late emarginatum; scrobe curvata, ab apice ad rostri medium infra-oculos exeunte. — *Frons* latiuscula, quasi palpebra supra oculos producta. — *Oculi* sub-oblongi, valde prominuli, majusculi. — *Thorax* latitudine longior, sublinearis, antice truncatus, postice subbisinuatus, lateribus in medio aut parum ampliatus, aut rectus, supra depressus. — *Scutellum* minutum, punctiforme — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo plus triplo longiora, supra modice convexa, versus apicem attenuata, apice ipso mucrone parvo, recto armata, anum occultantia; humeris oblique angulatis. — *Pedes* elongati, validi, longitudine sub-

aequales, femoribus in medio parum incrassatis; tibiis teretibus, anticis ante apicem parum arcuatis, reliquis rectis, omnibus apice intus unco brevi, horizontali, acuto armatis; tarsis sub-angustatis, articulis 1, 2 oblongo-trigonis, penultimo vix latiore, bilobo, ultimo clavato, aut bi-aut uni-articulato.

Typus: — Curc. tomentosus Fabr. — congenericus: — Curc. rugosus Wiedem. in Germ. Mag. IV. pag. 154.

Ab ἀνήμερος agrestis.

Observatio: — Affinitatem cum genere Hypomeci exhibet, dissimilitudinem vero formae corporis, quae aliena est, antennarumque structurae, quae quoque diversa est, includit; frons latiuscula aliquantisper oculos tegens, hocce bene distinctum mihi videtur reddere genus. Duae illae hujus generis, quas cognosco species, dissimilitudinem adeo insignem praebent, ut tarsi in Anaemero tomentoso sint angustati et subtus haud spongiosi, unguiculus biarticulatus, at vero in Anaem. rugoso tarsi sint subtus spongiosi et unguiculus uniarticulatus. Nec, de cetero, essentialem ullam, qua referri ad diversa genera possint, differentiam reperi.

Genus 62. Tanymecus Germ. Dej. — Curculio Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus oculos superans; articulis funiculi duobus basalibus obconicis, reliquis brevibus, subturbinatis; clava oblonga, ovalis, acuminata.

Rostrum breve, crassiusculum; scrobs curvata, ante oculum abbreviata.

Oculi rotundati, subdepressi.

Thorax oblongus, antice posticeque truncatus, lateribus in medio modice rotundatus, margo posticus saepissime elevatus.

Elytra elongata, apice acuminata.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, alatum. — *Antennae* longitudine fere capitis thoracisque, versus apicem

rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1o oculi marginem superiorem attingente, clavato, 2o et 3o longiusculis, obconicis, illo saepius paullo longiore, reliquis brevibus, subaequalibus, subturbinatis; clava elongata, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis eoque paullo angustius, subhorizontale, longitudinaliter impressum, aut linea in medio elevatum, in paucis supra aequale; scrobe parum curvata, ante oculos abbreviata, non profunda. — *Oculi* laterales, rotundati, aut subdepressi, aut parum prominuli. — *Thorax* latitudine paullo longior, antice posticeque truncatus, margine postico plus minusve distincte elevato-marginatus, lateribus aequaliter rotundatus, supra convexus, subtus integer. — *Scutellum* parvum, triangulare. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora, sed illo triplo longiora, oblongo-ovata, dorso parum convexa, apice aut singulatim obtuse, aut conjunctim argute acuminata, anum tegentia: humeris obtuse angulatis. — *Pedes* longiusculi, validi, longitudine subaequales, femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis teretibus, apice truncatis, muticis; posterioribus versus apicem extus penicillatis; tarsis longiusculis; subtus spongiosis; articulis 1, 2 subtrigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. Rostrum longitudinaliter impressum. Elytra apice singulatim obtuse subacuminata.

Typus: — Curcul. palliatus Fabr. Gyllenh. I. C. griseus Fabr., Curc. canescens Herbst. Congenerici: Tanym. favillaceus et bibulus nob.

Stirps 2a. Rostrum supra in medio linea longitudinali elevatum. Elytra apice conjunctim acuminata.

Typus: — Tanym. urbanus nob. — Huc pertinent: Tanym. rudis, discolor et marginalis nob.

Stirps 3a. Rostrum supra aequale. Elytra apice conjunctim acuminata.

Typus: — Curc. niloticus Hoffmans. in litt.

A τανύω extendo μῆκος longitudo.

Observatio. — Proximum est Sitonae generi, at

vero antennarum scapus paullo longior, funiculorumque articuli subturbinati, haud nodosi.

Subgenus Asemus nob. — Curculio Fabr. Wiedem.

Adumbratio: — Antennae fere longitudine capitis simul cum thorace, subtenues, scapo oculos superante, clavato; articulis duobus basalibus funiculi obconicis, reliquis aut subturbinatis, aut subobconicis; clava oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* brevissimum, crassissimum, supra subplanum, in medio linea longitudinali elevatum, profunde emarginatum; apertura oris ampla; mandibulae amplae, valde convexae; scrobs plus minusve curvata, ante oculum abbreviata. — *Oculi* laterales, subrotundati, parum prominuli, majusculi. — *Thorax* latitudine paullo longior; in aliis subconicus, in aliis subcylindricus, antice posticeque truncatus, supra modice convexus. — *Elytra* thorace paullo latiora, sed illo triplo longiora, pone medium versus apicem sensim attenuata, apice ipso conjunctim argute acuminata; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* longiusculi; tibiis teretibus, apice truncatis, intermediis nonnunquam apice unco valido, subdeflexo armatis, posterioribus versus apicem extus penicillatis: tarsis elongatis.

Typus: — Curc. rusticus Fabr. Huc pertinent: Curc. chloroleucus Wiedem. Tanym. (Asemus) protervus nob.

Ab ἄσημος non signatus.

Observatio: — A genere Tanymeci genuini hoc subgenus parum discrepat, rostro tamen crassiore, ingentibus fere mandibulis aliterque constructo thorace, distingui posse videtur.

Genus 63. Astycus nob. — Curculio Oliv.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; scapus clavatus, oculos attingens; articuli funiculi 1-3 sequentibus paullo longiores, obconici; clava oblonga, ovalis, acuminata.

Rostrum breve, angulatum, supra planum, canaliculatum; scrobs linearis, arcuata, subtus flexa.

Oculi subrotundati, parum prominuli.

Thorax oblongus, subcylindricus, lateribus parum rotundatus, margo posticus elevatus.

Elytra subcylindrica, convexa, apice acuminata; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, subcylindricum, exsculptum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non attingentes, pone medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, inferiorem oculorum marginem tangente, 2-4 longiusculis, obconicis, 5-7 brevioribus, subrotundatis, 8° crassiore, clavae basin submentiente; clava oblonga, subovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve, longitudine capitis et illo paullo angustius, angulatum, supra planum, in medio canaliculatum, apice emarginatum; scrobe lineari arcuata, sensim subtus flexa. — *Oculi* laterales, subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine longior, subcylindricus, anterius paullo angustior, lateribus parum rotundatus, antice posticeque truncatus, margo posticus elevatus, subtus pone gulam obsolete emarginatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* antice thoracis basi non latiora, sed mox pone basin per angulum humeralem, obliquum ampliata, deinde sublinearia, thorace quadruplo longiora, subcylindrica, convexa, versus apicem attenuata, acuminata, anum obtegentia. — *Pedes* validi, antici paullo longiores; femoribus muticis, in medio incrassatis; tibiis anticis versus apicem arcuatis, intus crenulatis, apice unco horizontali, acuto intus armatis, posticis apice mox dilatatis, truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis articulo 1o elongato, subtrigono, 2o minore, breviore, trigono, 3o latiore, bilobo, ultimo elongato, parum clavato, valido.

Typus: — Curc. adultus Oliv. Unam tantum ad hoc genus speciem pertinentem vidi.

Ab ἀστυκός urbanus, scitus.

Observatio: — Statura et facies fere eadem, ac in subgenere Asemi, antennis autem brevioribus atque rostri structura maxime discrepat.

Genus 64. Lissorhinus nob.

Character generis: — Antennae breves, subrectae, crassiusculae; articulis basalibus funiculi obconicis, reliquis paullo brevioribus, apice truncatis; clava subovata, acuminata.

Rostrum brevissimum, crassum, supra planum.

Oculi subovati, prominuli.

Thorax subcylindricus, anterius subangustior.

Elytra elongata, versus apicem attenuata, acuminata.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, subcylindricum, laeve, alatum; — maris paullo angustior, abdomen subtus in medio paullo deplanatum. — *Antennae* thoracis medium vix superantes, subrectae, attamen parum geniculatae, versus apicem rostri insertae, validiusculae, 12 articulatae; articulo 1º elongato, clavato, oculos attingente, 2º obconico, 3º reliquis paullo longiore, 4-8 brevibus, apice truncatis, subcoarctatis, crassitudine crescentibus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* brevissimum, subhorizontale, crassum, supra planum, in medio linea impressa, apice late emarginatum; scrobe curvata, sensim subtus flexa, pone basin rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, subovati, valde prominuli. — *Thorax* latitudine paullo longior, subcylindricus, anterius paullo angustior, antice posticeque truncatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* oblongum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, quo vero quadruplo longiora, elongata, subcylindrica, versus apicem attenuata, acuminata. — *Pedes* validi; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis teretibus subrectis, apice intus subangulatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 subtrigonis, penultimo paullo latiore, bilobo, ungue brevi, biunguiculato.

Typus: — Lissorh. Eryx nob. Unam solum e Sierra Leona speciem vidi.

A λισσὸς laevis, ῥὶν nasus.

Observatio: — Habitu primo adspectu Lixo genuino fere simile, rostrum vero statim dissimilitudinem indicat.

Genus 65. Protenomus nob.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; articulis tribus funiculi basalibus obconicis, reliquis sub-perfoliatis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum breve, angulatum, supra longitudinaliter profunde impressum.

Oculi subovati, sub-depressi.

Thorax oblongus, subcylindricus, supra parum convexus, subtus versus basin utrinque fovea lata impressus.

Elytra oblongo-ovata, antice conjunctim emarginata; humeri antrorsum sub-prominuli.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, sub-apterum, alis incompletis. — *Antennae* thoracis medium non superantes, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, 12 articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, 4° brevi, omnibus obconicis, 5-8 brevioribus, sub-perfoliatis, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava 4-articulata, oblonga, ovali, minuta. — *Rostrum* longitudine capitis, subdeflexum, crassum, angulatum, supra longitudinaliter concavum, apice late, non vero profunde triangulariter emarginatum; scrobe curvata, brevi, latiuscula, ante oculos abbreviata. — *Caput* latum, subproductum, convexiusculum. — *Oculi* laterales, sub-ovati, subdepressi. — *Thorax* latitudine longior, subcylindricus, anterius vix angustior, apice in medio leviter sinuatus, juxta pone apicem, praesertim versus latera, linea abbreviata impressus; basi subtruncatus, paullulum reflexus, supra modice convexus, subtus versus basin utrinque fovea lata pro receptione femorum anticorum impressus, pone gulam late non vero profunde emarginatus. — *Scutellum* distinctum, triangulare, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo triplo longiora, antice junctim rotundato-emarginata, humeris antrorsum subprominulis; mox pone basin ampliata, oblongo-ovata, apice subacuminata, supra parum convexa. — *Abdomen* in medio juxta basin, (forte in masculis) impressum. — *Pedes* longiusculi, validi; femoribus subclavatis, muticis; tibiis subcompressis, anterioribus intus curvatis; posticis rectis, omnibus apice unco obtuso intus ar-

matis; tarsis elongatis, articulis 1o et 2o trigonis; penultimo paullo latiore, bilobo, subtus spongioso, ultimo valido, clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. Saisanensis Gebl. n. sp. e Mongolia — D. Steven benigne; communicavit — nec plures vidi.

A προτείνω protendo, ὦμος humerus.

Observatio: — Statura similis fere Lissorhini generi, sed magis ovatus, affinis etiam nonnullis Asemi subgeneris speciebus, sed bene distinctus rostro aliter constructo atque elytris antice emarginatis; humeris antrorsum subprominulis.

******) Genus 66. Artipus nob., Sahlb. — Sitona Dej.

Character generis: — Antennae mediocres, validae; scapus clavatus, oculos fere superans; articulis primis funiculi obconicis, ultimis turbinatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum brevissimum, crassum, in medio profunde canaliculatum, apice late et profunde emarginatum.

Oculi minores, rotundati, modice prominuli.

Thorax cylindricus, antice truncatus, basi sub-bisinuatus.

Elytra elongata, versus apicem attenuata, sub-acuminata.

Tibiae rectae, crassiusculae.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, alatum, minoris magnitudinis. — *Antennae* ad thoracis basin vix pertingentes, versus apicem rostri insertae, validae, parce rigide pilosae, fractae, 12 articulatae: articulo 1o elongato, oculos fere superante, versus apicem sensim incrassato, 2o et 3o longiusculis, obconicis, 4-8 subturbinatis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* brevissimum, crassum, supra sub-impressum, canaliculatum, apice late et profunde emarginatum, ciliatum; scrobe infraoculari, valde curvata, basi profunda. — *Oculi* minores, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine longior, cylindricus, antice truncatus, pone gulam leviter emarginatus, postice sub-bisinua-

tus, supra convexus. — *Scutellum* distinctum, rotundatum. — *Elytra* thorace dimidio latiora, quo fere quadruplo longiora, supra modice convexa, sublinearia, versus apicem attenuata, subacuminata, abdomen obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* validi; femoribus parum incrassatis; tibiis rectis, crassiusculis, anticis apice unco brevi intus armatis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulo 1o basi tenui, 2o trigono, 3o latiore, bilobo, ultimo valido, clavato, biunguiculato.

Typus: Artipus corycaeus Sahlb. — Nullam praeter hanc speciem vidi.

Ab ἀρτίπους valens pedibus.

Observatio: — Generi Sitonae simillimum et affine est, sed antennis validioribus, articulis omnibus brevissime obconicis diversum; ceterum apice attenuata sunt elytra, pedesque validi atque tibiae rectae, crassiusculae. —

Genus 67. Sitona Germ. Dej. — Brachyrhinus Billb. — Curculio Auctorum reliquorum.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; articulis primis funiculi longiusculis, obconicis, reliquis nodosis; clava oblongo-ovalis.

Rostrum supra planum aut in medio linea impressum, aut sulcatum.

Oculi majusculi, in plerisque subrotundati, modice prominuli, in nonnullis oblongi, valde prominuli.

Thorax subteres, lateribus pone medium rotundatus.

Elytra elongata, apice rotundata; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* parvum, elongatum, alatum. — *Antennae* subtenues, thoracis basin non tangentes, versus apicem rostri insertae, fractae, 12-articulatae; articulo 1o elongato, clavato, oculorum medium attingente, 2o et 3o longiusculis, obconicis, 8-8 brevibus, nodosis; clava oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve, apice emarginatum, subhorizontale, in plerisque supra planum, in medio linea longitudinali impressum, in nonnullis latitudine paullo longius, lineare; supra longitudinaliter sul-

catum; scrobe infra-oculari, curvata. — *Oculi* majusculi, laterales, in plerisque subrotundati modice, in paucis valde prominuli, oblongi. — *Thorax* latitudine longior, antice posticeque truncatus, saepius subteres, lateribus pone medium rotundatus, raro in medio ampliatus, supra modice convexus. — *Scutellum* minutum, rotundatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora, quo quadruplo longiora, supra modice convexa, apice subrotundata, anum occultantia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, subaequales; femoribus, praesertim anticis, in medio incrassatis; tibiis apice truncatis, muticis; tarsorum articulo 1° oblongo, 2° trigono, 3° latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1ª. (Genus Charagmus nob. olim) — Rostrum latitudine paullo longius, subhorizontale, lineare, supra longitudinaliter sulcatum. Oculi oblongi, valde prominuli. Thorax in medio valde ampliatus. Tarsorum spongiae distinctae.

Typus: — Curc. gressorius Fabr. — Huc adnumeratur: Curc. infossor. Herbst.

Stirps 2ª. (Sitonae genuinae.) — Rostrum breve, subporrectum, supra planum, in medio linea longitudinalis impressa. Oculi subrotundati, modice prominuli. Thorax subteres, lateribus pone medium rotundatus. Tarsorum spongiae obsoletae.

Typus: Curc. lineatus Auctorum et congenerici: C. caninus, tibialis, hispidulus Auctor. — et species aliae plures indescriptae.

A σιτώνης frumenti emtor.

Genus 68. Promecops nob. — Sahlb.

Character generis: — Antennae breviusculae; scapus subclavatus, oculos non attingens; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, obconicis, 3-7 brevibus, subnodosis; clava ovata.

Rostrum breve, crassum, supra canaliculatum; scrobs profunda, arcuata.

Oculi elongati, depressi.

Thorax subcylindricus, pone oculos lobatus.

Elytra oblonga; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, minoris magnitudinis, alatum. — *Antennae* ad thoracis medium vix pertingentes, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1o elongato, oculos non attingente, versus apicem incrassato, 2o et 3o longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus; subnodosis; clava ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve, crassum, apice vix incrassatum; emarginatum, supra canaliculatum; scrobe curvata, lineari, profunda, pone inferum oculi canthum desinente. — *Oculi* laterales, elongati, perpendiculariter positi, depressi. — *Thorax* latitudine fere longior, basi sub-bisinuatus, antice late, non vero profunde emarginatus, pone oculos eximie lobatus, lateribus subrotundatus, postice paullo angustior, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* rotundatum, punctiforme, subelevatum. — *Elytra* thorace dimidio latiora et illo quadruplo longiora, supra modice convexa, apice rotundata, anum occultantia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* validi, longitudine subaequales; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiae crassiusculae, anticae intus unco minutissimo armatae; tarsi subtus spongiosi, articulis 1, 2 subtrigonis, 3o latiore bilobo, unguibus brevibus, gracilibus, biunguiculatis.

Typus: — Promecops nubifer Sahlb. — Congenericus — Promec. Myops nob.

A προμήκης oblongus, ὤψ oculus.

Observatio: Genus quoad habitum Sitonae proximum, sed thorax pone oculos lobis productus; oculi elongati, depressi. Affine quoque generi Gronopi, structura autem rostri maxime differt.

Genus 69. Hadromerus nob. Curculio Oliv.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus clavatus, flexuosus; articulis basalibus funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, subnodosis; clava majuscula, oblonga, ovalis.

Rostrum brevissimum; crassum; supra sub-deplanatum.

Oculi subrotundati, modice prominuli.

Thorax sub-transversus, lateribus rotundatus, postice submarginatus.

Elytra oblonga, apice subacuminata.

Pedes antici multo longiores, validi; femora magna, valde incrassata; tibiae subarcuatae, intus crenulatae, tarsorum anticorum articulus unguicularis longus.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, alatum. — *Antennae* subtenues, thoracis medium vix superantes, infra medium rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1o elongato, clavato, subflexuoso, oculos attingente, 2o et 3o longiusculis, 4o et 5o brevibus, sub-obconicis, reliquis subnodosis, ultimo paullo crassiore, clavae adpresso; clava majuscula, oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* brevissimum, crassum, supra planum, in medio linea longitudinali impressum, apice emarginatum: scrobe lineari, arcuata, juxta inferum oculorum canthum desinente. — *Oculi* laterales, aut rotundati, aut suboblongi, modice prominuli. — *Thorax* longitudine fere latior, antice posticeque truncatus, lateribus rotundatus, margo posticus subelevatus, subtus pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* minutum, rotundatum. — *Elytra* aut thoracis basi dimidio latiora, oblongo-ovata, humeri obtuse angulati; aut elongata, thoracis parte postica haud manifeste latiora, humeri vix extensi; supra modice convexa, apice ipso acuminata, anum occultantia. — *Pedes* validi, antici multo longiores; femoribus anticis magnis, valde crassis, muticis; tibiis subarcuatis, intus crenulatis, apice intus angulatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, unguiculis, anticis saepe longissimis, arcuatis; femoribus posterioribus parum crassis, tibiis rectis, apice muticis.

Stirps 1a. Thorax antice coarctatus; deinde lateribus valde rotundatus. Elytra oblongo-ovata; humeri obtuse angulati.

Typus: — Hadrom. nobilitatus nob. e Brasilia.

Stirps 2a. Thorax parum convexus. Elytra thoracis basi vix latiora.

Typus: — Curculio Sagittarius Oliv. e Senegallia.

Ab ἁδρὸς crassus, μηρὸς femur.

Observatio: Habitus fere similis generi Leptoceri, sed antennae multo breviores, aliter constructae atque articulus tarsorum unguicularis saepe valde elongatus. — Hoc genus vix rectum et satis distinctum, ejusque igitur determinatione mihimet ipsi satisfacere non potui.

Genus 70. **Polydrosus.** nob. — Polydrusus Germ. Dej., Billb — Dascillus Megerle. — Brachyrhinus Latr., Billb. — Curcul. Fabr. Gyllenh. Oliv. — Muraenus Megerle. — (olim Phyllerastes nob.)

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; scapus clavatus, plerumque extra oculos sese erigens; articulis basalibus funiculi longiusculis, obconicis, reliquis aut brevissime obconicis, aut nodosis; clava elongata, ovalis.

Rostrum breve, crassiusculum, subteres, capite angustius.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax parvus, brevis.

Elytra supra, praesertim posterius, convexa; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongum l. oblongo ovatum, alatum. — *Antennae* capitis thoracisque longitudine, infra medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, clavato, subarcuato, plerumque sese supra oculos erigente, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, in plerisque sub-obconicis, in quibusdam nodosis; clava elongata, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite paullo brevius et angustius, nutans, subteres, apice emarginatum; scrobes lineares, angustae, arcuatae, in medio rostri subtus flexae et conjunctae. — *Caput* exsertum, subcylindricum. — *Oculi* laterales; rotundati, modice prominuli. — *Thorax* parvus, brevis, antice posticeque truncatus, lateribus parum rotundatus, supra modice convexus,

subtus integer. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* thorace fere duplo latiora, quo quintuplo longiora, ovata l. oblongo-ovata, apice subacuminata, supra postice valde convexa, anum occultantia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, subaequales; femoribus in medio incrassatis, muticis l. dentatis; tibiis sub-compressis, vix curvatis, apice muticis, posticis apice subdilatatis, extus excavatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore bilobo, ultimo parum clavato, biunguiculato, unguibus brevibus.

Stirps 1a. Antennae longiusculae, subtenues; articulo 1o clavato, pone oculos sese erigente, 2o et 3o longiusculis, obconicis, 4-8 nodosis l. brevissime obconicis.

Typus: Curc. undatus Fabr. — Congen. Curc. fulvicornis auctor. — C. Picus Fabr. — C. flavipes Gyll. — Dascillus sparsus Dahl.

Stirps 2a. Antennae ita ut in stirpe 1a comparatae; at vero hac in stirpe 2a articuli 4-8 sunt obconici.

Typus: — Curc. cervinus Fabr. — Huc inscribendi sunt: Curc. squamosus Knoch Polydrus. planifrons et impressifrons Dej. — Polydr. xanthopus et tunicatus nob. — plures aliae indescriptae species.

Stirps 3a. Antennae longiusculae, subtenues; articulo 1o clavato, oculos attingente, nihilo vero ultra, 2o et 3o obconicis, reliquis brevibus, subaequalibus, etiam obconicis. Elytra in plerisque ovata, postice valde convexa.

Typus: — Curc. sericeus Gyllenh. l. C. splendidus Herbst. Arch. — C. micans Fabr. l. C. Pyri Linn. — Dascill. lateralis Meg. — Polydr. thalassinus nob.

A πολυδρόσος valde roscidus.

Observatio: Quoniam scrobis l. canaliculae antennalis formam, praecipuum esse hujus familiae characterem, putavi, quae quoque ut Character Phalangum est adhibita, coactus sum longius removere Phyllobium, cui praeterea hoc genus simillimum est et affine.

Subgenus Scythropus nob. (olim Pachyrhinus nob.) — Curculio Herbst, Polydrusus Germ.

Adumbratio: — Antennae capite thoraceque longiores, tenues; scapo oculos superante, clavato; articulis funiculi obconicis, exterioribus sensim brevioribus; clava oblongo-ovali, acuminata. — *Rostrum* brevissimum, crassum, supra inter antennas striga transversa, elevata, ad latera arcuata; scrobes lineares jam mox subtus flexae, in medium rostri subtus conniventes. — *Frons* latiuscula, convexa, occipite elongato, crasso. — *Thorax* brevis, transversus, subcylindricus, lateribus parum rotundatus, basi apiceque truncatus. — *Elytra* elongata, sublinearia, supra convexa; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* longiusculi, subaequales; femoribus clavatis, muticis; tibiae subcompressae, rectae.

Typus: Curc. Mustella Herbst. — Curc. squamulosus Creutz. an species distincta?

A σκυθρωπὸς tristis.

Observatio: — Rostrum brevissimum, crassum; frons latiuscula, convexa; occiput longum; antennae magis tenues, articuli funiculi obconici, exteriores sensim breviores; unde hocce subgenus a Polydroso diversum definiri videtur.

Genus 71. **Metallites** nob. Germ. — Muranus Meg.

Character generis: — Antennae breviusculae, crassiusculae; scapus supra oculos sese extendens, crassus, clavatus; articulis basalibus funiculi longiusculis, obconicis, reliquis nodosis; clava oblongo-ovata, apice attenuata.

Rostrum breve; subteres; supra planiusculum; capite paullo angustius.

Oculi parvi; rotundati; modice prominuli.

Thorax brevis; subcylindricus; lateribus modice rotundatus.

Elytra elongata; parum convexa.

Descriptio: — *Corpus* elongatum; molliusculum, alatum. — *Antennae* crassiusculae; fractae; ad thoracis basin vix pertingentes, infra medium rostri insertae, 12-arti-

culatae; articulo 1o supra oculos sese extendente, crassiusculo, clavato, saepius arcuato, 2o et 3o longiusculis, obconicis, priori crassiore, 4-8 brevioribus, nodosis, versus apicem sensim paullo crassioribus, clava oblongo-ovata, apice attenuata. — *Rostrum* capite paullo brevius et angustius, nutans, subteres, supra planiusculum, versus apicem non incrassatum, apice ipso subemarginatum; scrobe infra-oculari, valde curvata, profunda. — *Caput* exsertum; frons subconvexa. — *Oculi* laterales, parvi, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine fere brevior, subcylindricus, basi apiceque truncatus, lateribus parum rotundatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum. — *Elytra* elongata, sublinearia, thoracis basi vix duplo latiora, quo quintuplo longiora, apice subacuminata, supra parum convexa, postice subdeclivia, anum occultantia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* validi; femoribus in medio incrassatis, aut dentatis, aut muticis; tibiis apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, unguibus minutis.

Typus: — Metallites mollis Germ. — Huc merito adnumerantur: Curc. atomarius Oliv. — Muranus tibialis et vittiger Megerle. — Curc. Iris Oliv.

A μεταλλίτης metallicus.

Observatio. — Generi Polydrosi valde affine, rostri autem structura et antennarum diversa.

Genus 72. Entyus nob. — Rembus Germ.

Character generis: — Antennae longiusculae, graciles; scapus brevissimus, clavatus; articulo funiculi basali crassiusculo, reliquis magis tenuibus, subobconicis, 2o paullo longiore, sequentibus sensim brevioribus; clava oblonga, ovalis.

Rostrum capite paullo longius, crassiusculum.

Oculi subovati, depressi.

Thorax anterius parum angustior, basi aut truncatus, aut sub-bisinuatus, lobi versus oculos subproducti.

Elytra magna, convexa; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* mediocris magnitudinis, subbreve, alatum. — *Antennae* thoracis basin attingentes, versus apicem rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1o brevi; clavato, oculos vix attingente, 2o crassiusculo, obconico, 3o 8o magis tenuibus, subobconicis, exterioribus sensim brevioribus, 3o paullo longiore quam secundo; clava oblonga, subovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite dimidio longius, crassiusculum, nutans, subangulatum, apice vix incrassatum; scrobes lineares, subtus flexae, in medium rostri subtus conniventes. — *Oculi* laterales, subovati, depressi. — *Thorax* parvus, subcylindricus, anterius paullo angustior, subtruncatus, basi aut subbisinuatus, aut truncatus, subtus pone gulam late, non vero profunde emarginatus, lobis ocularibus exiguis. — *Scutellum* mediocre, ovatum. — *Elytra* magna, thorace duplo latiora, quo quintuplo longiora, subovata, valde, praesertim posterius, convexa; humeris obtuse angulatis, aliquantulum extensis. — *Pedes* mediocres; femoribus subclavatis, muticis; tibiis teretibus, apice muticis; tarsis longis, spongiosis, articulo penultimo latiusculo, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Rembus auricinctus Germ. — huc etiam pertinet: Entyus albicinctus nob.

Ab ἐντύω adorno.

Observatio: — Generi Polydrosi affine et propinquum est, sed discrepat corpore subbrevi, scapo etiam antennarum brevi, oculos non attingente, item thorace versus oculos producto.

*******) Genus 73. Prostomus Dalm. Curculio Fabr. Oliv. Herbst. Weber.

Character generis: — Antennae longiusculae; scapus oculos fere superans clavatus; articulis funiculi basalibus obconicis, ultimis subturbinatis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum crassum, angulatum, sulcatum.

Mandibulae exsertae, validae, arcuatae; inermes.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax suborbicularis, ab elytris remotus.
Elytra elongata, convexa, subcylindrica.
Tibiae anticae compressae, arcuatae, apice intus scutatae.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, durum, sublineare, subcylindricum. — *Antennae* thoracis basin vix attingentes, versus apicem rostri insertae, fractae, minus tenues, 12-articulatae: articulo 1° recto; clavato; oculos attingente, 2° et 3° elongatis, obconicis, 4°-8° brevibus, subturbinatis; clava oblonga, ovali, 4-articulata. — *Rostrum* capite longius, crassum, subangulatum, supra inaequale, apice subtruncatum; mandibulis exsertis, validis, arcuatis, inermibus, apice obtusis; scrobe percurrente, curvata, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* magnus, in medio elytrorum fere latitudine, suborbiculatus, pulvinatus, supra perparum convexus, infra pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* elevatum, tuberculiforme. — *Elytra* elongata, sublinearia, latitudine duplo longiora, supra convexa, versus apicem callosa; humeris subprominulis, obtuse angulatis. — *Pedes* longiusculi, robusti; femoribus clavatis, muticis; tibiis anticis compressis, latiusculis, apice intus curvatis, scutatis, tibiae intermediae apice unco valido horizontali intus armatae; tarsis subtus spongiosis, latiusculis; articulo basali elongato, 2° trigono, 3° latiore, bilobo, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Curc. scutellaris Fabr. Oliv. — plures haud vidi.

A προόςτομος os habens porrectum.

Observatio: — Mandibulae exsertae, tibiae antice compressae, apice scutatae, hoc genus primo adspectu proprium esse, et a reliquis hujus familiae bene distinctum, indicare videntur.

********) Genus 74. Leptosomus nob. — Curculio Fabr., Oliv. Herbst.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus clavatus, recurvatus, oculos superans; arti-

culis funiculi brevibus, aequalibus, subturbinatis; clava elongata, ovalis.

Rostrum capite multo brevius, apice valde incrassatum.

Caput valde elongatum, cylindricum.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax elongatus, cylindricus, angustus.

Elytra elongata, postice in spinas acutas dehiscentes terminata.

Descriptio: — *Corpus* valde elongatum, alatum. — *Antennae* capitis basin vix superantes, in medio rostri insertae, determinate fractae, 12-articulatae: articulo 1o elongato, recurvato, versus apicem incrassato, supra oculos sese extendente, 2o-8o brevibus, subobconicis l. turbinatis, subaequalibus; clava oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* crassum, porrectum, capite multo brevius, apice valde incrassatum; scrobe lineari, profunda, subangulata, subtus flexa, pone inferum oculi canthum desinente. — *Caput* pone oculos valde elongatum, cylindricum, angustum, longitudine fere thoracis. — *Oculi* laterales, semi-globosi, modice prominuli. — *Thorax* valde elongatus, subcylindricus, elytris angustior, in medio paullulum coarctatus, antice posticeque truncatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* elongata, oblongo ovata, thorace duplo longiora, posterius angustata, apice in spinas acutas, divergentes producta; humeris oblique subangulatis. — *Pedes* longiusculi, validi, antici approximati; femoribus muticis, clavatis, tibiis teretibus, rectis, inermibus, tarsis subangulatis, subtus spongiis obsoletis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo paullo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. acuminatus Fabr. Oliv. unicam speciem vidi.

A λεπτός tenuis, σῶμα corpus.

Observatio. Statura singularis, valde angusta, elongata: facies fere Generis Brenthi, sed antennae determinate fractae.

(*Divisio* 4a. Cleonides. Rostrum longiusculum, crassum, aut nutans, aut deflexum, plerumque teretiusculum, raro subangulatum, extrorsum saepius subincrassatum).

Subdivisio. 1a. Corpus saepissime alatum.

*) Genus 75. Cleonus nob. — Cleonis Dej. Meg. Fisch. — Lixus Illig. Germ. Latr. Oliv. — Epimeces Billb. — Curculio Auctorum caeterorum. — Geomorus nob. olim.

Character generis: — Antennae breviusculae, minus tenues; scapus oculos non attingens; articulo funiculi basali subobconico, sequentibus paullo longiore, 2o-6o brevibus, coarctatis, 7o crassiore, clavae adpresso; clava suboblongo-ovata, acuminata.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, plerumque supra canaliculatum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax subconicus, juxta apicem obsolete constrictus, antice leviter, basi saepe evidenter bisinuatus.

Elytra elongata, versus apicem plerumque callosa; apice ipso rotundata, in paucis acuminata.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, in plerisque alatum, in paucis apterum, durum. — *Antennae* breviusculae, vix ad medium thoracis pertingentes, intra medium et apicem rostri insertae, validiusculae, arcuatae, parum fractae, 12-articulatae: articulo 1o oculos non attingente, apice incrassato, 2o reliquis paullo longiore, sub-obconico, 3o 7o brevibus, subaequalibus, transversis, coarctatis, 8o multo crassiore, clavae adpresso; clava suboblongo-ovata, acuminata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* breviusculum, subcrassum, deflexum, subarcuatum, perparum incrassatum, plerumque supra canaliculatum vel carinatum, apice ipso subtruncatum, erosum; scrobe percurrente, curvata, subtus flexa, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, oblongi, subdepressi, perpendiculariter positi. — *Thorax* versus basin longitudine fere latior; anterius angustior, juxta apicem obsolete constrictus, lateribus vix rotundatus, basi plerumque evidenter bisinuatus, elytrorum basi paullo an-

gustior, supra modice convexus, apice ipso plerumque leviter bisinuatus, in medio productus, pone oculos lobis parum prominulis rotundatus, subtus pone gulam plus minusve emarginatus. — *Scutellum* parvum, triangulare. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo fere quadruplo longiora, humeri subrotundati, parum prominuli, supra modice convexa, versus apicem saepe callosa, apice ipso rotundata, in paucis acuminata, anum occultantia. — *Pedes* mediocres, validi, subaequales, antici in nonnullis longiores; femoribus muticis, anterioribus crassioribus; tibiae teretes, apice paullo latiores, intus unco horizontali, valido armatae; tarsis saepius latiusculis, subtus spongiosis, articulis 1° 2° subtrigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Stirps 1a. — Thorax pone oculos distincte lobatus.

Typus: — Curc. sulcirostris Linn. pluresque alii. Species mihi cognitae et huc pertinentes: Curc. glacialis Herbst — Lix. clathratus et Arabs Oliv. — Curc. nebulosus, glaucus et obliquus Fabr. — Lix. tabidus Oliv. — Curc. tetragrammus Pall. — Curc. ophthalmicus Fabr. — Lix. grammicus Oliv. — Lix. segnis Germ. — C. Sannio Herbst l. mucidus Germ. — C. candidatus Pall. — Cleonus Gebleri Stev. — Cleon. microgrammus Stev. — Curc. flaviceps Pall. — Cleon. Dauricus Stev.

Stirps 2a. — Thorax pone oculos indistincte l. non lobatus. Huc referri possunt: Curc. roridus Fabr. — marmoratus Fabr. trisulcatus Gyll. Inf. Suec. — perlatus Fabr. — Lix. alternans. Oliv. — C. costatus Fabr. — Epimeces verrucicollis Billb. — Cleon. scutellatus Bohem. an ab *κλεωνία* Helenium (herba) quod forte a *κλέων* nom. propr. vel ab *κλέος* gloria, nominis celebritas?

Observatio: — Rostro et antennis minus tenuibus aliterque constructis, atque corpore saepissime crassiore, a genere Lixi, cui praeterea est simile, differt.

Subgenus. Bothynoderes nob. — Lixus Oliv. Germ. — Epimeces Billb. — Clenonis Dej. — Curculio Fabr. Gyllenh. et plures alii.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, minus tenues, fractae; scapo oculos subattingente, apice incrassato; articulus basalis funiculi brevis, crassiusculus, 2s 1mo duplo longior, subobconicus, 2-6 breves, transversi, coarctati, 7s multo crassior, clavam fere incipiens; clava subfusiformi. — *Rostrum* capite longius, crassiusculum, sublineare, deflexum, saepissime subrectum, nonnunquam subarcuatum, supra carinatum. — *Oculi* ovati, subdepressi. — *Thorax* anterius angustior, juxta apicem constrictus, pone oculos rotunde lobatus, plus minusve productus, lateribus subrotundatus, basi bisinuatus, in medio baseos foveola impressus. — *Scutellum* parvum, triangulare. — *Elytra* oblonga, thoracis basi saepe paullo latiora, versus apicem callosa, apice ipso singulatim obtuse sub-acuminata vel subrotundata; humeris obtuse angulatis l. subrotundatis, in plerisque paullo prominulis. — *Tarsi* elongati, plerumque subcompressi, articulo penultimo bilobo, reliquis paullo latiore. — *Corpus* oblongum, alatum.

Stirps 1a. Antennae validiusculae. Rostrum subrectum, supra in medio carinatum, apice ipso subtruncatum, perparum emarginatum. Etytra antice pone scutellum non impressa, apice ipso rotundata.

Typus: — Cleonus (Bothynod.) nubilosus Bohem. n. sp. ejusdem stirpis sunt: tenebrosus, Punctum et strabus, nob. — Sparmanni Gyllenh. — lugens Besser. — C. nigrivittis Pall. — C. cinereus Herbst.

Stirps 2a. Antennae magis tenues. Rostrum subrectum, supra in medio carinatum, apice ipso sinuatum, in medio lobo obtuse rotundato-producto, versus latera emarginatum. Elytra antice pone scutellum non impressa, apice ipso rotundata. Tarsi angustati, subtus haud spongiosi. — Proprium forsitan genus constituere potest.

Typus: — Lixus Mimosae Oliv.

Stirps 3ª. Rostrum subarcuatum, versus apicem subangustatum, supra in medio carinula abbreviata instructum, apice ipso subtruncatum, perparum emarginatum, margine saepius subreflexo. Elytra antice pone scutellum transversim impressa, apice ipso acuminata.

Typus: — Curc. albidus Auctor. Ad hanc stirpem referendum genus Lixus declivis. — Lixus punctiventris Germ.

Observatio: Quoad habitum et staturam omnino Cleoni generi simile est, sed articulo 3o antennarum, qui secundo duplo est longior, atque thorace in medio baséos foveola impresso, differt.

Genus 76. Chrysolopus Germ. Dej. — Curculio Fabr., Oliv., Herbst.

Character generis: — Antennae breviusculae, validae; scapus oculos vix attingens; articulis funiculi brevibus, lenticularibus, crassitudine crescentibus; clava ovata.

Caput intus ad latera oculorum crista elevata instructum.

Rostrum elongatum, versus apicem incrassatum.

Oculi subdepressi, ovati.

Thorax oblongus, convexus, lateribus aequaliter rotundatus, antice late emarginatus, lobis pone oculos triangularibus productis.

Elytra oblonga; humeri angulati, nonnihil horizontaliter extensi.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, undique convexum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, versus apicem rostri insertae, validae, fractae, parce setosae; 12-articulatae; articulo 1o elongato, apice incrassato, subcurvato, oculos vix attingente, 3-8 brevibus, lenticularibus, exterioribus sensim crassioribus; clava brevi, ovata, acuminata, 4-articulata. — *Caput* convexum, intus crista 1., ruga ad latera oculorum elevata instructum. — *Rostrum* capite fere duplo longius, deflexum, crassum, teres, versus apicem sensim incrassatum; scrobe profunda, curvata, ab apice ad inferiorem rostri basin flexa. — *Oculi* sublaterales,

ovati, subdepressi, oblique positi. — *Thorax* latitudine medii vix longior, juxta basin et apicem constrictus, lateribus valde rotundatus, margo posticus elevatus, supra modice convexus, antice late emarginatus, lobis lateralibus triangularibus, ad oculos productis notatus, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* distinctum, elongatum, subtriangulare. — *Elytra* oblonga, thoracis basi fere duplo latiora, sed illo quadruplo longiora, supra valde convexa, versus apicem subcallosa, ad latera fere recta, apice rotundata, anum suboccultantia; humeris rectangulatis, parum prominulis. — *Pedes* longi, validi, approximati; femoribus subclavatis, subtus dentatis; tibiis subcompressis, apice subdilatatis, oblique truncatis, extus penicillatis, unco subdeflexo, valido, acuto intus armatis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulis primis subtrigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Curculio spectabilis Fabr. Oliv. Una tantum species mihi cognita.

A χρῦσος aureus, λοπὶς squama.

Observatio: — Statura fere generis Hylobii et specierum quarundam Hypsonoti generis, bene vero distinguitur: antennis crassiusculis, articulis 2-8 brevibus, apice truncatis. Caput intus ad latera oculorum crista elevata instructum. Thorax juxta basin et apicem constrictus.

Genus 77. Rhytideres nob. — Curculio Oliv. — Cleonis Dej.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; scapus clavatus, oculos non attingens; articulis 1mis funiculi obconicis, parum longis, 3-6 brevibus, nodosis, ultimo multo crassiore, clavae adpresso; clava oblonga, acuminata.

Rostrum elongatum, teres, supra canaliculatum, apice paullo incrassatum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax oblongo-quadratus, subteres, lobi pone oculos producti, rotundati.

Elytra oblongo-ovata, basi conjunctim rotundatim-emarginata; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, alatum. — *Antennae* ad thoracis medium pertingentes, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, setosae, 12-articulatae; articulo 1o elongato, incrassato, oculos non attingente; 2o et 3o parum longis, obconicis, 4o-7o brevibus, nodosis, apice truncatis, 8o multo crassiore, clavae adpresso; clava oblonga, angusta, subovata, acuminata, 4-articulata, articulis aegre discernendis. — *Rostrum* capite duplo longius, deflexum, crassiusculum, teres, supra canaliculatum, apice paullo incrassatum, emarginatum; scrobe percurrente, subtus flexa, basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, oblongi, depressi, oblique positi. — *Thorax* elytris fere dimidio angustior, oblongo-subquadratus, subteres, lateribus subrectis, antice supra et pone gulam late emarginatus, lobis ocularibus productis, rotundatis. — *Scutellum* minutum, rotundatum, elevatum. — *Elytra* thoracis basi duplo latiora, illoque quadruplo longiora, basi simul introrsum rotundatim-emarginata, oblongo-ovata, convexa, versus apicem callosa, apice ipso subacuminata, anum tegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, antici approximati: femoribus subclavatis, muticis; tibiis teretibus, apice intus unco valido horizontali armatis; tarsis angustatis, subcompressis, ciliatis, spongiis obsoletis, articulo penultimo bilobo, paullo latiore, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Curculio plicatus Oliv. plures species non vidi.

A ῥυτὶς ruga, δέρη collum.

Observatio: — Simile generi Chrysolopi, sed differt: antennarum articulis 2o et 3o obconicis, clava angusta, rostro canaliculato, thorace oblongo-quadrato, juxta basin et apicem haud constricto, scutello rotundato.

**) Genus 78. Hypsonotus Germ. — Alocorhinus Sahlb. — Chrysolopus Billb. — Polydrusus, Merionus et Gastrodus Dej. — olim Aulacorhinus nob.

Character generis: — Antennae longiusculae, tenues; scapus oculos attingens; articulis funiculi longiusculis, exterioribus sensim brevioribus, omnibus obconicis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, subteres, utrinque canalicula dimidiata ab oculo ad medium rostri ducta exaratum.

Oculi subovati, depressi.

Thorax aut subcylindricus, aut antrorsum angustior, antice in medio productus, lateribus versus oculos lobatus. —

Elytra oblonga, thorace partim dimidio, partim paullo latiora.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, interdum ovatum, posterius saepe gibbum, alatum. — *Antennae* ad thoracis basin fere pertingentes, versus apicem rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae; articulo 1o elongato, oculos subattingente, apice paullo incrassato l. clavato, 2o et 3o longiusculis, quorum hic paullo longior est; reliqui exteriores gradatim sunt breviores, omnes aut obconici, aut subclavati; clava oblongo-ovata, angusta, acuminata, 4-articulata, articulis distinctis. — *Frons* saepe convexa. — *Rostrum* capite duplo longius, deflexum, validum, interdum subarcuatum, canalicula dimidiata, ab oculo ad medium rostri ducta, utrinque saepissime profunde exaratum, plerumque subteres, nonnihil angulatum, apice paullo incrassatum, supra in medio saepius carinatum, nonnunquam teres, haud carinatum; scrobe lineari, curvata, aut pone inferum oculorum canthum desinente, aut basi rostri subtus exeunte. — *Oculi* laterales, subovati, depressi, oblique positi. — *Thorax* aut subcylindricus, aut antrorsum angustatus, haud coarctatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi subtruncatus, supra convexus, antice in medio productus, lobis lateralibus rotundatis, ad oculos prominentibus; subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* oblonga, vel saepius oblongo-ovata, thoracis basi nunc fere dimidio, nunc paullo latiora, et illo triplo l. quadruplo longiora, supra convexa, praesertim posterius, interdum gibba, margine laterali in medio sinuato; apice acumi-

nata, anum occultantia; humeris saepissime obtuse angulatis, raro vero subrotundatis. — *Pedes* longiusculi, subaequales, validi, basi approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, anterioribus intus saepius crenulatis, omnibus apice unco nullo; tarsis subtus spongiosis, valde dilatatis, ciliatis, articulis primis trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. Rostrum subteres, in medio carinatum. Tibiae intus crenulatae.

Typus: — Hypsonotus clavulus Germ. — Congenerici: Hyps. loculosus, leucostictus et umbrosus Germ. — Alochorhinus comprimatus Sahlb. Sub hac stirpe novem species adhuc indescriptae, mihi cognitae, omnes e Brasilia.

Stirps 2a. Rostrum subteres, in medio canaliculatum. Tibiae intus haud crenulatae.

Typus: Leucon Boeberi Besser in Litt.

Stirps 3a. Rostrum teres, haud carinatum. Tibiae intus crenulatae.

Typus: — Alochorhinus clericus Sahlb. l. Hypsonot. scenicus Germ.

Observatio: — Genus Hylobii huic simillimum est et affine, sed hoc praecipue differt: articulis antennarum 2-8 omnibus obconicis, clava angustiore, tibiis apice muticis.

Subgenus A. Eurylobus nob. — Gastrodus Dej. — Hypsonotus Germ.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, tenues; articulis funiculi obconicis, gradatim brevioribus; clava oblongo-ovata. — *Rostrum* elongatum, aut subteres aut angulatum; scrobe pone inferum oculorum canthum exeunte. — *Oculi* ovati, depressi, majusculi. — *Thorax* oblongus, anterius angustior, late emarginatus, in medio paullo prominulus, lateribus rotundatus, infra ante pedes anticos late excavatus, argute marginatus, lobis ocularibus eximiis, dependentibus. — *Scutellum* distinctum, triangulare. — *Elytra* aut oblongo-ovata, supra convexa, aut elongata, subcom-

primata, margine laterali in medio sinuato, humeris obtuse angulatis. — *Corpus* ovatum, vel elongatum, alatum.

Typus: — Hypsonot. cingulatus et idm var. Hypson. canephorus Germ. — Congenericus. C. elegans Kirby in litt.

Ab ἐυρὺς latus, amplus, λοβὸς ima auris pars.

Observatio: — Generi Hypsonoti genuini simillimum hoc subgenus, sed canalicula ab oculis descendens deest; thorax subtus ante pedes manifeste excavatus, et lobi pone oculos dependentes, quare hoc subgenus a supra commemorato separavi.

Subgenus B. Lordops nob. — Hypsonotus Germ.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres, subtenues; scapo oculos attingente, clavato; articulis primis funiculi longiusculis, reliquis brevibus, omnibus obconicis; clava oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* capite plus duplo longius, eique subcontiguum, nutans, subteres, convexiusculum, versus apicem attenuatum; canalicula ab oculis ducta, saepius ante medium rostri desinente, utrinque exaratum. — *Oculi* rotundati, subdepressi. — *Thorax* anterius angustior, apice late emarginatus, pone oculos valde prolixe lobatus, subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* apice rotundatum. — *Elytra* oblongo-ovata, thorace plerumque paullo latiora, convexa, versus apicem saepius gibba, subcompri-mata, acuminata, margine laterali in medio sinuato.

Typus: — Curc. Schoenherri Dalm. l. Hypson. principalis Germ — Congenerici: Hypson. aurosus et navicularis Germ. — Curc. Gyllenhalii. Dalm. l. Hypson. dives Germ. — Hypson. (Cordops) jucundus et infacetus nob.

A λορδὸς curvus, cernuus, ὤψ facies.

Observatio: Valde affine generi Hypsonoti genuini, sed discrepat: antennis paullo brevioribus, oculis rotundatis, rostro capite magis contiguo, versus apicem attenuato.

Subgenus C. Lasiopus nob. Sahlb. — Polydrusus Dejean.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, subtenues; scapo oculos fere attingente, sensim incrassato; articulis funiculi longiusculis, obconicis, exterioribus sensim brevioribus; clava oblongo-subovata, acuminata. — *Rostrum* capite duplo longius, crassiusculum, subteres, versus apicem parum incrassatum; scrobe profunda, percurrente, pone canthum inferum oculorum ad basin rostri desinente. — *Oculi* ovati, parum prominuli. — *Thorax* oblongus, convexus, apice angustatus, pone oculos lobatus, basi leviter bisinuatus, marginatus, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* subtriangulare. — *Elytra* thorace fere dimidio latiora, sed illo quadruplo longiora, antice introrsum conjunctim paullo emarginata, versus apicem sensim angustiora, apice ipso subrotundata, dorso planiuscula, margine laterali in medio sinuato; humeris oblique angulatis. — *Pedes* longiusculi, robusti; femoribus clavatis, muticis; tibiis compressis, intus crenulatis, anticis apice parum incurvatis, posticis intus dense pilosis, in uno sexu, quem puto esse marem, apice unco horizontali, minuto intus instructis.

Typus: — Lasiopus cilipes Sahlb. — nec plures species vidi.

A λάσιος hirsutus, ποῦς pes.

Observatio: — Cum Hypsonoti genuino genere magnam habet similitudinem, praesertim respectu antennarum structurae, at vero dubia videtur affinitas nobis sequentes considerantibus discrepantias: thorax postice marginatus, leviter bisinuatus, elytra apice obtusa nec acuminata et tibiae, unius saltem sexus, apice unco parvo armatae.

Genus 79. Lepropus nob. — Curculio Fabr. Oliv. — Menoetius Dej.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; scapus oculos subattingens, incrassatus; articulis funiculi basalibus obconicis, 2° longiore, 3-6 brevibus, lenticularibus, 7° crassiore, turbinato; clava oblonga, ovalis, acuminata.

Rostrum deflexum, breve, crassum, supra planum, canaliculatum.

Oculi subrotundati, modice prominuli.

Thorax anterius angustior, lateribus rotundatus, antice posticeque truncatus, basi marginatus, supra convexus.

Elytra oblongo-ovata, antice introrsum subemarginata; humeri obtusi, subrotundati.

Pedes antici longiores, robusti.

Tibiae intus valde crenulatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, alatum. — *Antennae* ad thoracis medium pertingentes, pone medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae; articulo 1_o oculos subattingente, recto, crasso, clavato, 2° et 3° obconicis, hoc longiore, 4-7 brevioribus, lenticularibus, 8° paullo crassiore, obconico; clava oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve, longitudine capitis, eo vero paullo angustius, deflexum, supra subplanum, arcuatum, in medio canaliculatum, apice emarginatum, ciliatum; scrobe profunda, arcuata, subtus flexa, ante inferum oculi marginem desinente. — *Oculi* laterales, subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine longior, anterius nonnihil angustior, lateribus parum rotundatus, antice posticeque truncatus, basi marginatus, supra modice convexus, pone oculos non lobatus, subtus pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* minutum, rotundatum. — *Elytra* thorace vix dimidio latiora, et illo fere quadruplo longiora, oblongo-ovata, antice introrsum paullo emarginata, supra modice convexa, apice subrotundata, anum occultantia; humeris obtusis, subrotundatis. — *Pedes* validi, basi approximati, femoribus anticis magnis, posterioribus minoribus; omnibus in medio incrassatis, muticis; tibiis subteretibus, intus evidenter crenulatis, anticis longioribus, versus apicem arcuatis, apice interiore unco armatis, posticis apice dilatatis, truncatis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulis 1°-2_o trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

Typus: — Curculio lateralis? Fabr. Unam tantum speciem vidi.

A λεπρὸς asper, ποὺς pes.

Observatio: — Generi **Eustalis** fere simile, sed differt: articulis funiculorum subnodosis, thorace postice truncato, tibiis anticis intus valde crenulatis. Generi **Geophili** affine quidem, sed corpus alatum antennarumque structura est aliena.

***) Genus 80. **Aterpus** nob. — olim **Aades** nob. — **Curculio** Fabr. Oliv. Herbst. — **Rhynchaenus** Oliv.

Character generis: — Antennae mediocres; articulus basalis funiculi insequente duplo longior, subclavatus, 2^s subobconicus 3^s-6^s breves, apice truncati, 7_s crassior, clavam incipiens; clava ovata.

Rostrum breve, crassum, apice subtruncatum, erosum.

Oculi rotundati, non prominuli.

Thorax oblongus, basi subtruncatus, antice productus, supra convexus, infra profunde emarginatus.

Scutellum punctiforme, elevatum.

Elytra oblonga, subovata; humeri rectangulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, durum, exsculptum, tuberculatum, alatum. — *Antennae* ad thoracis medium pertingentes, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, setosae, 12-articulatae; articulo 1° clavato, oculos subattingente, 2° longiusculo, subclavato, 3° paullo breviore, obconico, 4-7 brevibus, subturbinatis, 8° crassiore, clavam incipiente; clava ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* breve, crassum, subinflexum, apice subtruncatum, erosum; scrobe in apice incipiente, profunda, pone canthum oculi exeunte. — *Oculi* laterales, rotundati, subdepressi. — *Thorax* latitudine longior, antice productus, lateribus rotundatus, supra convexus basi subtruncatus, subtus pone gulam late et profunde emarginatus, lobis ocularibus valde prolixis. — *Scutellum* minutum, punctiforme, elevatum. — *Elytra* oblonga, thorace fere dimidio latiora, quo triplo longiora, sublinearia, convexa, rigida, inaequalia; apice rotundata, anum occultantia; humeris rectangulatis, parum prominulis. — *Pedes* longiusculi, validi, antici subdistantes; femoribus muticis, in

medio incrassatis, tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis latis, subtus spongiosis, unguibus brevibus.

Typus: — Curc. cultratus et bicristatus Fabr. nec plures vidi.

Ab ἀτερπος injucundus.

Observatio: — Cum secundi antennarum articuli longitudine, tum etiam rostro apice subtruncato, thorace antice producto et basi truncato, atque scutello elevato, hoc genus praecipue distinguitur.

Genus 81. Gronops nob. — Bagous Germ. Dej. — Aulacus Meg. — Curculio Fabr. Oliv. Herbst. — Rhynchaenus Gyllenh. Ahrens.

Character generis: — Antennae breves, crassiusculae; scapus oculos non attingens, clavatus; articulo basali funiculi longiusculo, obconico, 2-6 brevissimis nodosis, coarctatis, 7° crassissimo, clava crassa, subovata.

Rostrum longiusculum, crassum.

Oculi oblongi, immersi.

Thorax subcylindricus, pone oculos lobatus.

Elytra postice declivia, callosa; humeri angulati.

Tibiae rectae, apice submuticae; tarsi angustati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, angulatum, supra inaequale, minoris magnitudinis. — *Antennae* breves, ad thoracis medium pertingentes, versus medium rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae; articulo 1° clavato, oculos non attingente, 2° longiusculo, obconico, apice incrassato, 3°-7° brevissimis, nodosis, valde coarctatis, exterioribus sensim paullo crassioribus, 8° crassissimo, clavae basin mentiente; clava magna, ovata, 4-articulata, articulis aegre discernendis. — *Rostrum* deflexum vix longitudine thoracis, crassum, subarcuatum; scrobe lineari, curvata, pone inferum oculi canthum excurrente. — *Oculi* laterales, oblongi, immersi, magni. — *Thorax* latitudine fere longior, subcylindricus, antice late emarginatus, postice subbisinuatus, supra parum convexus, inaequalis, lobis ocularibus eximiis, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* par-

vum, subelongatum. — *Elytra* thorace fere duplo latiora, quo plus triplo longiora, supra parum convexa, postice declivia, callosa, apice rotundata, pygidium tegentia; humeris rectangulatis. — *Pedes* longiusculi, validi, basi approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis breviusculis, teretibus, omnino rectis, apice unco minutissimo armatis; tarsis angustatis, subtus haud spongiosis, ungue biunguiculato.

Typus: — Curc. lunatus Fabr. l. Rhynchaenus costatus Gyllenh. Una tantum species mihi cognita.

A γρῶνος profundus, ὤψ oculus.

Observatio: — Quoad habitum generi Bagoi (infra, inter Legionem Mecorhynchorum) simile, sed rostrum aliter constructum et tibiae rectae, apice solummodo unco minutissimo armatae.

Genus 82. Listroderes nob. — Merionus Dej.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; scapus oculos attingens; articulis primis funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, subturbinatis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum elongatum, crassiusculum, versus apicem sensim incrassatum.

Oculi magni, subovati, subdepressi.

Thorax antice latior, late emarginatus, supra subplanus, pone oculos lobatus.

Elytra elongata, sublinearia, dorso antico planiuscula, versus apicem acute callosa.

Tarsi elongati, subtus vix spongiosi.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, supra parum convexum, alatum. — *Antennae* longitudine fere thoracis una cum capite, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, parce rigide pilosae, 12-articulatae; articulo 1o valde clavato, oculos attingente, 2o et 3o longioribus, obconicis, subaequalibus, 4o-8o brevioribus, subturbinatis, exterioribus sensim crassioribus; clava elongata, ovali, acuminata, 4-articulata, articulis distinctis. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, deflexum, crassiusculum, nonnihil arcuatum, su-

pra carinatum, versus apicem aliquantisper sensim incrassatum, apice ipso leviter emarginatum; scrobe percurrente, subcurvata, paullatim subtus flexa ibique obsoleta, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* magni, laterales, subovati, subdepressi. — *Thorax* antice, praesertim in sexu feminino latior, basi subrotundatus, antice late emarginatus et pone apicem constrictus, deinde valde ampliatus, posterius sensim angustatus, angulis baseos rotundatus, supra subplanus, aequalis, pone gulam profunde emarginatus, lobis ocularibus eximie prominentibus, rotundatis. — *Scutellum* subelongatum, apice rotundatum, depressum. — *Elytra* elongata, sublinearia, thoracis basi dimidio latiora, quo quadruplo longiora, antice introrsum simul parum emarginata, dorso antico subdeplanata, versus apicem acute callosa, apice ipso obtuse rotundata, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis — *Abdomen* in masculo juxta basin concavum. — *Pedes* longiusculi, validi, antici approximati; femoribus subincrassatis, muticis; tibiis subteretibus, intus crenulatis, anticis apice unco minutissimo intus instructis; tarsis elongatis, praesertim posticis angustatis, pilosis, articulo penultimo latiore, bilobo, subtus vix spongioso, ultimo longissimo, valido, clavato, biunguiculato, unguibus validis.

Typus: — Listrod. costirostris Gyllenh. n. sp. Hypera insubida Germ. in litt. e Rio Ianeiro. — Nullam praeter hanc speciem vidi.

A λισϱόω complano, δέϱη collum

Observatio: — Ratione habitus simile fere est generi Phytonomi (infra n. 94.) sed differt thorace antice latiore, supra subplano, elytris dorso antico planiusculis. —

Ex habitu tarsorumque forma credibile est, hoc insectum in plantis aquatilibus vivere.

Subdivisio 2a. Corpus semper apterum.

****) Genus 83. Liophloeus. Germ. — Gastrodus Megerle, Dej. — Curculio Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; scapus clavatus, ultra oculos sese erigens; articulis

funiculi basalibus longiusculis, obconicis, reliquis gradatim brevioribus, turbinatis; clava suboblongo-ovata, acuminata.

Rostrum breve, teres, apice crassius.

Oculi rotundati, parum prominuli.

Thorax transversus, antice posticeque truncatus, lateribus valde rotundatus, supra in medio transversim convexus.

Elytra ampla, valde convexa, aequalia; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, molliusculum, apterum. — *Antennae* thoracis basin attingentes, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae; articulo 1° clavato, thoracis marginem anticum tangente, 2-5 obconicis, exterioribus sensim brevioribus, 6-8 brevibus, turbinatis; clava elongato-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* nutans, subcrassum, teres, capite longius, versus apicem incrassatum; scrobes valde curvatae mox subtus flexae, in medium rostri subtus cöeuntes. — *Oculi* laterales, rotundati, parum prominuli. — *Thorax* brevis, anterius angustior, obsolete coarctatus, basi apiceque truncatus, lateribus valde ampliato rotundatus, supra in medio transversim convexus, subtus integer. — *Scutellum* mediocre, triangulare, distinctum. — *Elytra* magna, antice truncata, thoracis basi fere dimidio latiora, quo vero quadruplo longiora, supra, praesertim posterius, valde convexa, apice acuminata, anum occultantia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* longiusculi, validi, femoribus clavatis, dente parvo armatis; tibiis teretibus apice dilatatis, truncatis, muticis; tarsis latis, subtus distincte spongiosis, ciliatis, articulo basali oblongo, trigono, penultimo latiore, bilobo, ungue biunguiculato.

Typus: — Curc. nubilus Fabr. Congenericus: Liophloeus lentus Germ.

A λεῖος laevis, φλοιός cortex.

Observatio: — Barynoti generi proximum, sed discrepat: corpore magis convexo; antennis longioribus, oculis rotundatis, magis prominulis, scutello manifeste perspicuo, elytris antice truncatis, haud emarginatis, tibiis apice muti-

cis. A Genere Otiorhynchi, cui quoque simile, differt forma rostri alia et canalicula antennali curvata.

Genus 84. **Geophilus** nob. — Curculio Fabr.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; scapus sensim incrassatus oculos superans; articulis primis funiculi longiusculis, omnibus obconicis; clava parva, oblongo-ovata.

Rostrum breve, crassum, subteres.

Oculi subrotundati, modice prominuli.

Thorax antice posticeque truncatus, anterius vix angustior, lateribus parum rotundatus.

Elytra oblongo-ovata, modice convexa, praesertim posterius.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, durum, apterum. — *Antennae* ad thoracis basin pertingentes, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae; articulo 1° recto, oculos superante, versus apicem sensim incrassato, 2° et 3° longiusculis, 4°-8° breviusculis, omnibus subobconicis; clava parva, oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite dimidio longius, crassum, subdeflexum, subteres, supra subplanum, saepius longitudinaliter canaliculatum, apice profunde triangulariter emarginatum, ciliatum; scrobe profunda, curvata, pone marginem oculorum inferum desinente. — *Oculi* laterales, subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine longior, antice posticeque truncatus, anterius vix angustior, in nonnullis coarctatus, lateribus paullo rotundatus, supra convexus, subtus integer. — *Scutellum* parvum, rotundatum, subelevatum. — *Elytra* thorace fere quadruplo longiora et illo paullo latiora, oblongo-ovata, antice saepius junctim subemarginata, supra, praesertim posterius, modice convexa, pygidium tegentia; humeris saepius obsoletis, in quibusdam obtuse subangulatis. — *Pedes* validi, longitudine subaequales, basi approximati; femoribus paullo incrassatis, muticis; tibiis teretibus, intus crenulatis, anterioribus apice unco horizontali, brevi armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ungue biunguiculato.

Typus: — **Geophilus virgatus** nob. — Huc quoque referri possunt: **Curculio 8-tuberculatus** Fabr. — **Geoph. illaetabilis** et **terrenus** nob.

A γέα terra, φίλος amicus.

Observatio. — Generi **Lepropi** simillimum est, sed differt praecipue corpore aptero, rostri antennarumque structura longiore et aliena.

*****) Genus 85. **Rhytirrhinus** nob. — **Curculio** Fabr.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus clavatus, oculos attingens; articulo funiculi basali clavato, 2° obconico, 3-6 lenticularibus, 7° crassiore, subturbinato; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, angulatum, canaliculatum, inaequale, subarcuatum.

Oculi ovati, immersi.

Thorax subrotundatus, antice in medio productus, lobi laterales ad oculos prominentes.

Elytra subovata, basi introrsum subemarginata, inaequalia.

Tarsi angustati, setosi, spongiis nullis.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, crassum, durum, tuberculatum l. inaequale, apterum. — *Antennae* vix ultra thoracis medium extensae, juxta apicem rostri insertae, subtenues, pilis raris adspersae, fractae, 12-articulatae; articulo 1° clavato, recto, oculos attingente, 2° longiusculo, quoque clavato, 3° minore, obconico, 4-7 brevibus, lenticularibus, 8° multo crassiore, subturbinato, clavae subadpresso; clava 4-articulata, oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* capite duplo longius, crassiusculum, subangulatum, canaliculatum, inaequale, subarcuatum, ante oculos utrinque tuberculo saepius corniformi instructum, versus apicem in plerisque subincrassatum, in aliis vero apice ipso utrinque dilatatum, in medio paullo emarginatum; scrobe percurrente, parum curvata, minus profunda, versus inferum oculi marginem desinente. — *Oculi* laterales, parvi, ovati, immersi. —

subrotundatus, antice vix angustior, in medio plus roductus, basi subtruncatus, lateribus valde rotun-a parum convexus, lobis ad oculos subangulatis, is. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* subovata, ace triplo l. quadruplo longiora, quo dimidio e simul rotundatim subemarginata, supra naequalia, juxta apicem coarctata, apice . anum occultantia; humeris aut retusis, breviusculi, validi, antici basi ap-inearibus, in medio vix crassiuscu-ubtus emarginatis; tibiis omnibus ubcompressis, apice truncatis, unco atis; tarsis augustatis, setosis, haud spon-guibus angustis, biunguiculatis.

Typus: Curc. inaequalis Fabr. Huc etiam species mihi visae referuntur: Rhytirrh. turpis et nodifrons nob.

A ῥυτὶς ruga ῥὶν nasus.

Observatio: — Generi Cryptopis (in Legione Orthoceridum) nonnihil simile, structura vero antennarum forma dissimili rostri, et absentia canaliculae pectoralis hocce genus a genere supra commemorato satis bene distinguitur.

Genus 86. Minyops nob. — Plinthus Germ. — Liparus Oliv. — Curculio Fabr. Ross. Meleus Dej.

Character generis: — Antennae breves, crassiusculae; scapus clavatus, oculos non attingens; articulo basali funiculi obconico, reliquis brevibus, subperfoliatis, crassitudine crescentibus; clava breviter ovata.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, subteres, apice parum incrassatum.

Oculi parvi, oblongi, immersi.

Thorax suborbiculatus, supra subplanus.

Elytra connata, subovata, supra parum convexa, dorso subplano, antice introrsum conjunctim paullo emarginata; humeri antrorsum prominuli.

Tarsi angustati, haud spongiosi.

Typus: — **Geophilus virgatus** nob. — Huc quoque referri possunt: **Curculio 8-tuberculatus** Fabr. — **Geoph. illaetabilis** et **terrenus** nob.

A *γέα* terra, *φίλος* amicus.

Observatio. — Generi **Lepropi** simillimum est, sed differt praecipue corpore aptero, rostri antennarumque structura longiore et aliena.

*****) Genus 85. **Rhytirrhinus** nob. — **Curculio** Fabr.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus clavatus, oculos attingens; articulo funiculi basali clavato, 2° obconico, 3-6 lenticularibus, 7° crassiore, subturbinato; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, angulatum, canaliculatum, inaequale, subarcuatum.

Oculi ovati, immersi.

Thorax subrotundatus, antice in medio productus, lobi laterales ad oculos prominentes.

Elytra subovata, basi introrsum subemarginata, inaequalia.

Tarsi angustati, setosi, spongiis nullis.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, crassum, durum, tuberculatum l. inaequale, apterum. — *Antennae* vix ultra thoracis mediam extensae, juxta apicem rostri insertae, subtenues, pilis raris adspersae, fractae, 12-articulatae; articulo 1° clavato, recto, oculos attingente, 2° longiusculo, quoque clavato, 3° minore, obconico, 4-7 brevibus, lenticularibus, 8° multo crassiore, subturbinato, clavae subadpresso; clava 4-articulata, oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* capite duplo longius, crassiusculum, subangulatum, canaliculatum, inaequale, subarcuatum, ante oculos utrinque tuberculo saepius corniformi instructum, versus apicem in plerisque subincrassatum, in aliis vero apice ipso utrinque dilatatum, in medio paullo emarginatum; scrobe percurrente, parum curvata, minus profunda, versus inferum oculi marginem desinente. — *Oculi* laterales, parvi, ovati, immersi. —

Thorax subrotundatus, antice vix angustior, in medio plus minusve productus, basi subtruncatus, lateribus valde rotundatus, supra parum convexus, lobis ad oculos subangulatis, valde productis. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* subovata, coadunata, thorace triplo l. quadruplo longiora, quo dimidio latiora, basi saepe simul rotundatim subemarginata, supra modice convexa, inaequalia, juxta apicem coarctata, apice ipso obtuse rotundata, anum occultantia; humeris aut retusis, aut obsoletis. — *Pedes* breviusculi, validi, antici basi approximati; femoribus sublinearibus, in medio vix crassiusculis, muticis, ante apicem subtus emarginatis; tibiis omnibus rectis, crassiusculis, subcompressis, apice truncatis, unco minuto intus armatis; tarsis augustatis, setosis, haud spongiosis, unguibus angustis, biunguiculatis.

Typus: Curc. inaequalis Fabr. Huc etiam species mihi visae referuntur: Rhytirrh. turpis et nodifrons nob.

A ῥυτὶς ruga ῥὶν nasus.

Observatio: — Generi Cryptopis (in Legione Orthoceridum) nonnihil simile, structura vero antennarum forma dissimili rostri, et absentia canaliculae pectoralis hocce genus a genere supra commemorato satis bene distinguitur.

Genus 86. Minyops nob. — Plinthus Germ. — Liparus Oliv. — Curculio Fabr. Ross. Meleus Dej.

Character generis: — Antennae breves, crassiusculae; scapus clavatus, oculos non attingens; articulo basali funiculi obconico, reliquis brevibus, subperfoliatis, crassitudine crescentibus; clava breviter ovata.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, subteres, apice parum incrassatum.

Oculi parvi, oblongi, immersi.

Thorax suborbiculatus, supra subplanus.

Elytra connata, subovata, supra parum convexa, dorso subplano, antice introrsum conjunctim paullo emarginata; humeri antrorsum prominuli.

Tarsi angustati, haud spongiosi.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, durum, apterum. — *Antennae* breves, crassiusculae, rigide pilosae, ad thoracis medium vix attingentes, versus apicem rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, oculos non attingente, 2° obconico, 3-8 brevibus, subperfoliatis, versus apicem gradatim latioribus, ultimo clavam quasi incipiente; clava breviter ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, deflexum, crassiusculum, subteres, nonnihil arcuatum, apice parum incrassatum, apice ipso subtruncatum; scrobe profunda, lata, obliqua, ante apicem incipiente, in basin rostri pone inferum oculi marginem exeunte. — *Oculi* laterales, parvi, oblongi, immersi. — *Thorax* subtransversus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium valde rotundato-dilatatus, posterius angustior, supra aliquantulum planus, inaequalis, subtus pone gulam profunde emarginatus, lobis ocularibus exiguis, productis. — *Scutellum* haud perspicue ullum. — *Elytra* connata, ovata, antice thoracis basi paullo latiora, quo vix triplo longiora, basi introrsum conjunctim rotundato-emarginata, versus apicem subattenuata, margine laterali inflexo, supra parum convexa, dorso subplano apice ipso obtusa, anum occultantia; humeris antrorsum prominulis, subrotundatis. — *Pedes* mediocres, validi; femoribus subclavatis, muticis; tibiis teretibus, apice truncatis, unco subhorizontali, acuto intus armatis; tarsis angustatis, subtus parce setosis, haud spongiosis, articulo ultimo longo, crasso, biunguiculato.

Typus: — Liparus carinatus Oliv. l. Curc. variolosus Fabr. Nec praeter hanc ullam speciem vidi.

A μεινὸς parvus, exilis, ὤψ oculus.

Observatio: — Habitu fere simile generi Plinthi, sed distinguitur antennarum articulis 3-8 subperfoliatis, tarsis angustatis, setosis, haud spongiosis.

******) Genus 87. Barynotus Germ. — Brius Meg. Dej. — Curculio Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae mediocres, minus tenues, scapus clavatus, oculos attingens; articulis funiculi

Thorax subrotundatus, antice vix angustior, in medio plus minusve productus, basi subtruncatus, lateribus valde rotundatus, supra parum convexus, lobis ad oculos subangulatis, valde productis. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* subovata, coadunata, thorace triplo l. quadruplo longiora, quo dimidio latiora, basi saepe simul rotundatim subemarginata, supra modice convexa, inaequalia, juxta apicem coarctata, apice ipso obtuse rotundata, anum occultantia; humeris aut retusis, aut obsoletis. — *Pedes* breviusculi, validi, antici basi approximati; femoribus sublinearibus, in medio vix crassiusculis, muticis, ante apicem subtus emarginatis; tibiis omnibus rectis, crassiusculis, subcompressis, apice truncatis, unco minuto intus armatis; tarsis angustatis, setosis, haud spongiosis, unguibus angustis, biunguiculatis.

Typus: Curc. inaequalis Fabr. Huc etiam species mihi visae referuntur: Rhytirrh. turpis et nodifrons nob.

A ῥυτὶς ruga ῥὶν nasus.

Observatio: — Generi Cryptopis (in Legione Orthoceridum) nonnihil simile, structura vero antennarum forma dissimili rostri, et absentia canaliculae pectoralis hocce genus a genere supra commemorato satis bene distinguitur.

Genus 86. Minyops nob. — Plinthus Germ. — Liparus Oliv. — Curculio Fabr. Ross. Meleus Dej.

Character generis: — Antennae breves, crassiusculae; scapus clavatus, oculos non attingens; articulo basali funiculi obconico, reliquis brevibus, subperfoliatis, crassitudine crescentibus; clava breviter ovata.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, subteres, apice parum incrassatum.

Oculi parvi, oblongi, immersi.

Thorax suborbiculatus, supra subplanus.

Elytra connata, subovata, supra parum convexa, dorso subplano, antice introrsum conjunctim paullo emarginata; humeri antrorsum prominuli.

Tarsi angustati, haud spongiosi.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, durum, apterum. — *Antennae* breves, crassiusculae, rigide pilosae, ad thoracis medium vix attingentes, versus apicem rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, oculos non attingente, 2° obconico, 3-8 brevibus, subperfoliatis, versus apicem gradatim latioribus, ultimo clavam quasi incipiente; clava breviter ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, deflexum, crassiusculum, subteres, nonnihil arcuatum, apice parum incrassatum, apice ipso subtruncatum; scrobe profunda, lata, obliqua, ante apicem incipiente, in basin rostri pone inferum oculi marginem exeunte. — *Oculi* laterales, parvi, oblongi, immersi. — *Thorax* subtransversus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium valde rotundato-dilatatus, posterius angustior, supra aliquantulum planus, inaequalis, subtus pone gulam profunde emarginatus, lobis ocularibus exiguis, productis. — *Scutellum* haud perspicue ullum. — *Elytra* connata, ovata, antice thoracis basi paullo latiora, quo vix triplo longiora, basi introrsum conjunctim rotundato-emarginata, versus apicem subattenuata, margine laterali inflexo, supra parum convexa, dorso subplano apice ipso obtusa, anum occultantia; humeris antrorsum prominulis, subrotundatis. — *Pedes* mediocres, validi; femoribus subclavatis, muticis; tibiis teretibus, apice truncatis, unco subhorizontali, acuto intus armatis; tarsis angustatis, subtus parce setosis, haud spongiosis, articulo ultimo longo, crasso, biunguiculato.

Typus: — Liparus carinatus Oliv. l. Curc. variolosus Fabr. Nec praeter hanc ullam speciem vidi.

A μινυὸς parvus, exilis, ὤψ oculus.

Observatio: — Habitu fere simile generi Plinthi, sed distinguitur antennarum articulis 3-8 subperfoliatis, tarsis angustatis, setosis, haud spongiosis.

******) Genus 87. Barynotus Germ. — Brius Meg. Dej. — Curculio Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae mediocres, minus tenues, scapus clavatus, oculos attingens; articulis funiculi

basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, subnodosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, subteres, apice paullo crassius.

Oculi subrotundati, depressi.

Thorax subtransversus, antice posticeque truncatus, lateribus rotundatus.

Elytra subovata, basi introrsum emarginata; humeri antrorsum prominuli, sutura versus apicem carinato-elevata.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, convexum, apterum. — *Antennae* ad thoracis basin haud pertingentes, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, clavato, oculorum medium attingente, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, subnodosis, crassitudine vix crescentibus, clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite paullo longius, crassiusculum, subteres, supra aliquantulum planum, apice paullo incrassatum; scrobe percurrente, curvata, lata, subtus flexa, in inferiore parte rostri pone oculum desinente. — *Oculi* laterales, subrotundati, depressi. — *Thorax* latitudine medii vix longior, anterius paullo angustior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, supra minus convexus, subtus pone gulam parum emarginatus, in paucis pone oculos sublobatus. — *Scutellum* minutum aegre observandum. — *Elytra* breviter ovata, arcte coadunata, thorace paullo latiora, quo triplo longiora, basi introrsum conjunctim rotundato-emarginata, humeris antrorsum prominulis; lateribus ampliato-rotundata, margine laterali inflexo, in medio subsinuato, dorso antico parum convexa, juxta apicem coarctata, in plerisque subcompressa, unde sutura postice elevata, carinata. — *Pedes* mediocres, validi, aequales; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, anticis intus sinuatis, apice unco minutissimo armatis; tarsis parum dilatatis, subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ungue brevi, biunguiculato.

Typus: — Curc. obscurus Fabr. Huc quoque referuntur: Baryn. Bohemanni Gyllenh. — Baryn. squa-

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, alatum. — *Antennae* breviusculae, medium thoracis vix attingentes, versus apicem rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae: articulo primo elongato, oculos non attingente, clavato, 2° et 3° obconicis, sequentibus quatuor paullo longioribus, 4°-7° brevibus, subnodosis, apice truncatis, 8° crassiore, cyathiformi, clavae basin mentiente; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* elongatum capite plus duplo longius, subdeflexum, teretiusculum, subtenue, versus apicem sensim incrassatum; scrobe obliqua, pone inferum oculi canthum desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, parum prominuli. — *Thorax* breviter conicus, anterius multo angustior, basi apiceque subtruncatus, lateribus parum rotundatus, supra parum convexus, infra pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* parvum, triangulare. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi fere dimidio latiora, quo fere quadruplo longiora, antice introrsum conjunctim subemarginata, supra parum convexa, versus apicem subcallosa, nonnihil attenuata, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis, subrotundatis, antrorsum prominulis. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales, validiusculi; femoribus subclavatis, obsolete dentatis; tibiis teretiusculis, apice unco horizontali, valido intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, unguiculari, longo, angusto, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen: Colon Fabr. Gyllenh. — Congenericus: Curc. binotatus — Fabr.

A λεπυρός, corticosus, horrens gluma.

Observatio: — Ratione habitus et staturae proximum est generi Alophi, a quo tamen discrepat: alato corpore, rostro magis tenui, articulis antennarum aliter constructis.

Genus 90. Tanysphyrus Germ. Dej. — Rhynchaen. Fabr., Gyllenh. — Curculio Herbst, Payk. —

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus oculos subattingens; articulo funiculi basali crasso, brevi, 2° obconico 3°-6° minutis, transversis, co-

arctatis; clava magna, subglobosa, articulis arctissime connexis.

Rostrum elongatum, validum, teres, arcuatum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax convexus, lateribus nonnihil rotundatus.

Elytra oblongo-ovata, apice attenuata, declivia; humeri rectangulati.

Tarsi subcoarctati, ungue brevissimo.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, alatum, minoris magnitudinis. — *Antennae* versus apicem rostri insertae, ad thoracis medium pertingentes, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, oculos fere attingente, 2° brevi, crassissimo, 3° longiusculo, obconico, 4°-7° minutis, transversis, coarctatis, 8° crasso, clavae arcte connexo, clava magna, subglobosa, articulis aegre discernendis. — *Rostrum* elongatum, capite plus duplo longius, validum, teres, arcuatum, subdeflexum, versus apicem sensim aliquantisper incrassatum, apice supra deplanatum; scrobes obliquae, paullatim subtus flexae, in basin rostri subtus coëuntes. — *Oculi* laterales, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine medii vix longior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, supra convexus, subtus pone gulam vix emarginatus. — *Scutellum* haud conspicuum. — *Elytra* thoracis basi fere duplo latiora, quo quadruplo longiora, subovata, apice attenuata, declivia, non vero callosa, anum obtegentia, supra convexa, dorso antico subdepressa; humeris rectangulatis, subelevatis — *Pedes* elongati, validi, antici basi approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice unco valido, acuto intus armatis; tarsis subcoarctatis, subtus obsolete spongiosis, articulo penultimo paullo latiore, bilobo, ultimo brevissimo, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Lemnae Fabr. Gyllenh. — Nullam speciem, praeter hanc, vidi.

A *τανύω* extendo, expando, *σφυρὸν* malleolus pedis.

Observatio: — Quamvis statura hocce genus Mecorhynchorum Legioni proximum, ad hanc tamen Brachyrynchorum Legionem pertinere debere mihi videtur. Ar-

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, alatum. — *Antennae* breviusculae, medium thoracis vix attingentes, versus apicem rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae: articulo primo elongato, oculos non attingente, clavato, 2° et 3° obconicis, sequentibus quatuor paullo longioribus, 4°-7° brevibus, subnodosis, apice truncatis, 8° crassiore, cyathiformi, clavae basin mentiente; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* elongatum capite plus duplo longius, subdeflexum, teretiusculum, subtenue, versus apicem sensim incrassatum; scrobe obliqua, pone inferum oculi canthum desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, parum prominuli. — *Thorax* breviter conicus, anterius multo angustior, basi apiceque subtruncatus, lateribus parum rotundatus, supra parum convexus, infra pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* parvum, triangulare. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi fere dimidio latiora, quo fere quadruplo longiora, antice introrsum conjunctim subemarginata, supra parum convexa, versus apicem subcallosa, nonnihil attenuata, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis, subrotundatis, antrorsum prominulis. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales, validiusculi; femoribus subclavatis, obsolete dentatis; tibiis teretiusculis, apice unco horizontali, valido intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, unguiculari, longo, angusto, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen: Colon Fabr. Gyllenh. — Congenericus: Curc. binotatus — Fabr.

A λεπυρός, corticosus, horrens gluma.

Observatio: — Ratione habitus et staturae proximum est generi Alophi, a quo tamen discrepat: alato corpore, rostro magis tenui, articulis antennarum aliter constructis.

Genus 90. Tanysphyrus Germ. Dej. — Rhynchaen. Fabr., Gyllenh. — Curculio Herbst, Payk. —

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus oculos subattingens; articulo funiculi basali crasso, brevi, 2° obconico 3°-6° minutis, transversis, co-

arctatis; clava magna, subglobosa, articulis arctissime connexis.

Rostrum elongatum, validum, teres, arcuatum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax convexus, lateribus nonnihil rotundatus.

Elytra oblongo-ovata, apice attenuata, declivia; humeri rectangulati.

Tarsi subcoarctati, ungue brevissimo.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, alatum, minoris magnitudinis. — *Antennae* versus apicem rostri insertae, ad thoracis medium pertingentes, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, oculos fere attingente, 2° brevi, crassissimo, 3° longiusculo, obconico, 4°-7° minutis, transversis, coarctatis, 8° crasso, clavae arcte connexo, clava magna, subglobosa, articulis aegre discernendis. — *Rostrum* elongatum, capite plus duplo longius, validum, teres, arcuatum, subdeflexum, versus apicem sensim aliquantisper incrassatum, apice supra deplanatum; scrobes obliquae, paullatim subtus flexae, in basin rostri subtus coëuntes. — *Oculi* laterales, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine medii vix longior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, supra convexus, subtus pone gulam vix emarginatus. — *Scutellum* haud conspicuum. — *Elytra* thoracis basi fere duplo latiora, quo quadruplo longiora, subovata, apice attenuata, declivia, non vero callosa, anum obtegentia, supra convexa, dorso antico subdepressa; humeris rectangulatis, subelevatis — *Pedes* elongati, validi, antici basi approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice unco valido, acuto intus armatis; tarsis subcoarctatis, subtus obsolete spongiosis, articulo penultimo paullo latiore, bilobo, ultimo brevissimo, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Lemnae Fabr. Gyllenh. — Nullam speciem, praeter hanc, vidi.

A ταvύω extendo, expando, σφυρὸν malleolus pedis.

Observatio: — Quamvis statura hocce genus Mecorhynchorum Legioni proximum, ad hanc tamen Brachyrynchorum Legionem pertinere debere mihi videtur. Ar-

ticulo enim 2° antennarum brevi, crasso, reliquis minutis, subtransversis, clava magna, subglobosa, tarsis coarctatis, ungue brevi, a ceteris dignoscitur generibus.

**) Genus 91. Hylobius Germ. olim, Dej. — Liparus Oliv. Germ. — Rhynchaenus Fabr. Gyllenh. — Curculio reliquor. Auctor.

Character generis: — Antennae breviusculae, crassiusculae; scapus oculos non attingens; articulis basalibus funiculi longiusculis, obconicis, 3° - 6° brevibus subrotundatis l. apice truncatis, gradatim paullo latioribus, ultimo multo crassiore, clavae adnexo; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, subteres, stria dimidiata impressa, e medio oculorum exeunte, utrinque plerumque notatum.

Oculi oblongi, parum prominuli.

Thorax lateribus rotundatus, juxta apicem saepius coarctatus.

Scutellum apice rotundatum, distinctum.

Elytra oblongo-ovata, versus apicem callosa; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, validum, durum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, crassiusculae, versus apicem rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, apice incrassato, oculos haud attingente, 2° et 3° parum longis, obconicis, 4-7 brevibus, subrotundatis, l. apice truncatis, crassitudine paullatim crescentibus, 8° multo crassiore, clavae adnexo; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* elongatum, capite plus duplo longius, deflexum, crassiusculum, subteres, subarcuatum, versus apicem paullo incrassatum, utrinque stria dimidiata, obsolete impressa, e medio oculorum exeunte, plerumque notatum, apice ipso erosum; scrobe obliqua, profunda, ante apicem incipiente, versus marginem oculi inferum exeunte. — *Oculi* laterales, suboblongi, oblique positi, parum prominuli. — *Thorax* latitudine medii vix longior, basi leviter subbisinuatus, antice subtruncatus, pone oculos in plerisque sublobatus, lateribus rotundatus, juxta apicem

pius coarctatus, subtus pone gulam profunde emargina-. — *Scutellum* parvum, apice rotundatum, distinctum. — *ytra* oblongo-ovata, thoracis basi dimidio latiora, quo ta-m quadruplo longiora, supra valde convexa, striatim im-essa, versus apicem callosa; pygidium tegentia; humeris tuse angulatis. — *Pedes* longiusculi, validi, subaequales; moribus clavatis, interdum dentatis; tibiis subcompressis, tus bisinuatis, apice oblique truncatis, lamina apicali in-s in uncum magnum, horizontalem producta terminatis; tar-s subtus spongiosis, articulo penultimo cordato, bilobo, un-ibus validis, biunguiculatis.

Stirps 1ma. Rostrum utrinque stria dimidiata ab oculo l medium rostri ducta obsolete exaratum. Thorax juxta icem coarctatus.

Typus: — Rhynchaenus Pineti Fabr. Species ihi cognitae huc referuntur: Rhynchaen. arcticus yllenh. — Rh. Abietis Fabr. — Rh. Pinastri Gyl-nh. — Lip. picivorus Germ. — Rhynch. capra ibr. Hylobius rugicollis Mannerh. — Hylob. moe-us et albopunctatus nob.

Stirps 2a. Rostrum haud stria utrinque impressum. horax juxta apicem non coarctatus.

Typus: — Curc fatuus Ross.

Ab ὕλη lignum, βίω vivo.

Observatio: — Sententiae Illustriss. Germari, Hy-bios sub eodem genere cum Molytis nob. (Liparus liv.) posse conjungi, assentire nolui; idque eo minus, quod sint apteri, totaque corporis forma robustior, elytra con-ata, versus apicem non callosa, humeri antrorsum subpro-inuli, quae omnia apud illos contraria sunt. De cetero, vi-e eorum genus longe diversum videtur. Molyti semper ib lapidibus et in gramine commorantur; Hylobii vero truncis arborum vivunt, ibique ut larvae sese alentes in rmas transeunt mutatas.

Cohors 2a. — Corpus apterum. Elytra antice semper nctim introrsum emarginata.

Genus 92. Molytes nob. — **Liparus** *) Oliv. Germ. Dej. — **Rhynchaen.** Fabr. Gyllenh. — **Curculio** reliquor. Auctor.

Character generis: — Antennae breviusculae, crassiusculae; scapus oculos non attingens; articulis funiculi primis longiusculis, obconicis, 3°-6 brevibus, transversis, subrotundatis, 7° multo crassiore, clavae adpresso; clava oblongo-ovata.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, aut supra laeve, convexum, utrinque stria obsoleta, supra oculos adscendente impressum, aut angulatum, in medio carinatum.

Oculi oblongi, immersi.

Thorax oblongo-rotundatus, ad latera antice coarctatus, basi apiceque truncatus.

Scutellum minutum, triangulare, saepius indistinctum.

Elytra connata, ovata, supra versus apicem non callosa; humeri antrorsum subprominuli.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, robustum, durum, apterum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, versus apicem rostri insertae, crassiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, clavato; 2° et 3° obconicis, quorum ille paullo longior est, 4-7 brevibus, transversis, subrotundatis, gradatim perparum latioribus, 8° multo crassiore, cyathiformi, clavae connexo; clava oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* elongatum, capite plus duplo longius, crassiusculum, subteres, deflexum, apice subtruncatum, sinuatum l. erosum, paullo incrassatum, subarcuatum, in plerisque stria obsoleta supra oculos adscendente impressum, in aliis angulatum, supra in medio carinatum; scrobe obliqua, ante apicem incipiente, versus inferum oculi marginem exeunte. — *Oculi* laterales, oblongi, immersi, perpendiculares. — *Thorax* oblongo-rotundatus, ad latera antice coarctatus, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, elytrorum basi paullo angustior, supra aut aequalis, modice

*) Nec retinendum putavi nomen genericum Liparus, cum Liparis jam nomen cujusdam generis Bombycum sit, et cuidam praeterea piscium generi quoque impositum.

convexus; aut aliquantulum planus, inaequalis, subtus pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* minutum, triangulare, interdum aegre observandum. — *Elytra* connata, ovata, antice introrsum paullo emarginata, thoracis medio vix latiora, mox pone basin ampliata, lateribus usque ad apicem rotundata, apice obtuse rotundata, anum occultantia, supra valde convexa, callo nullo. — *Abdomen* in mare subtus juxta basin concavum. — *Pedes* longiusculi, subaequales, robusti; femoribus clavatis, imo etiam dentatis; tibiis subcompressis, intus bisinuatis, apice oblique truncatis, lamina apicali intus in uncum magnum horizontalem producta terminatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. Rostrum teres, supra convexum, utrinque stria obsoleta supra oculos adscendente impressum; scrobs linearis. Thorax supra aequalis, modice convexus.

Typus: — Curc. germanus Linn. l. fusco maculatus Fabr. huc etiam referuntur: Curc. coronatus Latr. l. germanus Fabr., Gyllenh. — Lip. dirus Oliv. l. glabratus Fabr. — Molyt. Besseri nob. — Curc. punctatus Marsh.

Stirps 2a. (Epicthonius nob. olim.) Rostrum angulatum, in medio carinatum; scrobs versus oculos latiuscula. Thorax supra aliquantulum planus, inaequalis.

Typus: — Lipar. bajulus Oliv. — Congenericus: Curc. Monachus Germ.

A μωλύτης tardus, hebes.

Observatio: — confer. observatio ad Gen. Hylobii ante n. 91.

Genus 93. Plinthus Germ. — Curculio Fabr. Panz. Herbst. — Rhynchaenus Oliv. Fabr. — Lixus Fabr. — Liparus Oliv. — Meleus Meg. Dej.

Character generis: — Antennae mediocres, validiusculae; scapus apice incrassatus, oculos subattingens; articulis primis funiculi obconicis, reliquis brevibus, nodosis et gradatim paullo latioribus; clava brevis, subovata.

Rostrum elongatum, crassiusculum, teres, subarcuatum, apice paullo incrassatum.

Oculi parvi, oblongi, immersi.

Thorax lateribus rotundatus, supra parum convexus, in medio carinatus, pone oculos exigue lobatus.

Scutellum nullum.

Elytra oblongo-ovata, in paucis subelongata, basi junctim introrsum emarginata.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum l. elongatum, apterum. — *Antennae* thoracis medium vix superantes, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, apice incrassato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4°-8° brevibus, nodosis, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava brevi, subovata, 4-articulata. — *Rostrum* elongatum, capite plus duplo longius, crassiusculum, teres, apice parum incrassatum; scrobe totum rostrum percurrente, obliqua, aut sensim subtus flexa, aut versus oculi medium desinente. — *Oculi* laterales, oblongi, immersi, oblique positi, parvi. — *Thorax* latitudine medii vix longior, antice posticeque subtruncatus, pone oculos parum lobatus, lateribus rotundatus, supra modice vel parum convexus, in medio carinatus, subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* plerumque oblongo-ovata, nonnunquam elongata, thoracis basi paullo latiora, quo vero triplo longiora, basi introrsum aliquantulum emarginata, humeris antrorsum prominulis, thoracem ambientibus; supra convexa, versus apicem callosa, plerumque attenuata, apice ipso obtuse rotundata, anum occultantia. — *Pedes* mediocres, subaequales, validi, antici approximati; femoribus subclavatis, saepius dentatis; tibiis subcompressis, intus bisinuatis, apice oblique truncatis, unco horizontali, acuto intus instructis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo valido, clavato, biunguiculato.

Typus: — Curculio Megerlei Fabr. Species mihi cognitae et huc quoque pertinentes, sunt: Plinth. Tischeri et Sturmii Germ. Curc. silphoides Herbst l.

Lipar. Geometra Oliv. — Rhynchaen. porculus. Fabr. l. Curc. porcatus Panz. — Curc. leprosus Ross. in litt. — Plinth. caliginosus Germ. l. Lixus idem Fabr.

A πλίνθος later.

Observatio: — Generi Molyti affine, statura vero aliena est; antennae enim longiores et magis tenues. A Genere Minyopis cui quoque simile, discrepant antennae longiores et tenuiores aliterque constructae, rostrum subtenue, semper teres, nec angulatum.

Subdivisio 2da. Tibiae omnes apice muticae. Corpus saepissime alatum.

***) Genus 94. Phytonomus nob. — Hypera Germ. Dej. — Donus Megerle — Rhynchaenus Fabr. Gyllenh. Oliv. — Curculio Fabr. et reliquor. Auctor.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; scapus clavatus, oculos fere attingens; articulo primo funiculi incrassato, elongato, 2do obconico, aut reliquis longiore, aut subaequale, 3-7 brevibus, nodosis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum capite duplo longius, minus crassum, teretiusculum, paullulum arcuatum; scrobs obliqua, sensim subtus flexa.

Oculi oblongi, subdepressi.

Thorax in plerisque lateribus rotundatus, in paucis subcylindricus, basi apiceque subtruncatus.

Elytra oblongo-vel breviter ovata: humeri aut obtuse angulati, aut subrotundati.

Descriptio: — *Corpus* aut ovatum, aut magis oblongum, in plerisque alatum, in paucis apterum. — *Antennae* vix ad thoracis basin pertingentes, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, extrorsum valde clavato, oculos fere attingente, 2° ma-

jore, elongato, incrassato, 3° obconico, aut reliquis longiore, aut subaequale, sequentibus quinque brevibus, nodosis; clava oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite duplo longius, deflexum, parum arcuatum, crassiusculum, crassitudine variat; scrobe obliqua, lineari, ad inferum oculi canthum exeunte. — *Oculi* laterales, oblongi, subdepressi, oblique positi. — *Thorax* latitudine medii vix longior, basi truncatus, in plerisque lateribus rotundatus, in quibusdam subcylindricus, supra modice convexus, vel dorso planiusculus, apice saepius subemarginatus, aut lobis ocularibus exiguis, aut nullis; subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* aut oblongo-aut breviter ovata, thorace fere duplo latiora et illo plus triplo longiora, antice subtruncata, supra modice convexa, basi planiuscula, apice declivia, rotundata, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis l. subrotundatis. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales, validiusculi; femoribus elongatis, clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. Corpus oblongum.

Typus: — Rhynchaen. Polygoni Fabr. Species, quae huc etiam inscribendae sunt. Rh. Rumicis — Pollux — Miles — pedestris — elongatus, — arundinis-Viciae — Plantaginis — variabilis — borealis et bipunctatus Gyllenh. Ins. Sv. - et plures aliae.

Stirps 2a. Corpus breve, ovatum.

Huc merito adnumerantur: Rhynchaen. fasciculosus et punctatus Gyllenh. — Curc. Oxalis — contaminatus et Viennensis Herbst. — Donus setosus Megerle.

A φυτὸν planta, νομὸς pabulum, domicilium.

Genus 95. Coniatus Germari, olim — Curculio Auctorum - nunc Hypera Germ. Dej.

Character generis: — Antennae mediocres, minus tenues; scapus oculos subattingens, articulo basali funiculi elongato, incrassato, sequentibus brevibus, apice truncatis,

coarctatis; crassitudine crescentibus; clava elongata, ovalis, angusta.

Rostrum elongatum, subcylindricum, subrectum; scrobs subrecta, versus marginem oculi inferum evanescente.

Oculi majusculi, rotundati, aliquantulum prominuli.

Thorax basi subbisinuatus, lateribus rotundatus, anguli postici prominuli, supra convexus.

Elytra oblongo-ovata; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, alatum. — *Antennae* ad thoracis medium pertingentes, infra medium rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae; articulo 1º elongato, extrorsum crassiore, oculos subattingente, 2º longiusculo, crasso, obconico, reliquis aequalibus, brevibus, subtransversis, apice truncatis, exterioribus sensim crassioribus; clava elongata, ovali, angusta, 4-articulata. — *Rostrum* capite duplo longius, deflexum, subrectum, crassiusculum, teres, apice haud incrassatum; scrobe subrecta, non profunda, pone medium rostri incipiente, versus marginem oculi inferum exeunte. — *Oculi* majusculi, laterales, rotundati, paullulum prominuli. — *Thorax* latitudine longitudinem vix superans, antice truncatus, postice leviter bisinuatus, angulis baseos lateralibus prominulis, lateribus rotundatus, supra convexus, subtus pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi dimidio latiora et illo fere quadruplo longiora, supra convexa, antice truncata, apice rotundata, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, validi, longitudine subaequales; femoribus crassiusculis, fere cylindricis, muticis; tibiis teretibus, rectis, anticis apice unco minutissimo intus instructis, reliquis muticis; tarsi tibiis paullo breviores, subtus obsolete spongiosi, articulis 1º et 2º oblongo-trigonis, 3º paullo latiore, bilobo, ultimo elongato, clavato, biunguiculato, unguibus validis.

Typus: — Curc. Tamarisci Fabr. — Species ad hoc quoque genus pertinentes, sunt: Curc. repandus et splendidulus Fabr.

A κονιατός albario et tectorio opere inductus, calce illitus.

Observatio: — Simillimum hocce genus est Phytonomi generi, cui vero dissimile: articulis antennarum 4–8 brevibus, apice truncatis, nec rotundatis, clava angusta, rostro subrecto, scapo aliter constructo, oculis majusculis, rotundatis, prominulis, tarsis longiusculis. Respectu structurae scrobis seu canaliculae antennalis, hoc genus in limine inter primam et secundam Phalangem sistit; una cum genere Phytonomi Legioni quoque 2dae seu Mechorhynchis propinquum; attamen vero forma rostri antennarumque insertio locum ejus heic determinant.

Phalanx 2da. Canalicula antennalis seu scrobs subrecta, versus medium oculi adscendens.

(*Divisio* 6a. Phyllobides: Rostrum breve, subhorizontale, crassiusculum, saepius teretiusculum, nonnumquam aliquantulum incrassatum, interdum quoque supra planum. Corpus elongatum, alatum; humeri obtuse angulati.)

Subdivisio 1a. — Thorax pone oculos non lobatus.

*) Genus 96. **Myllocerus** nob. — Curculio Fabr., Oliv., Herbst.

Character generis: — Antennae elongatae, subtenues; scapus capite longior, arcuatus; articulis duobus primis funiculi longiusculis, reliquis brevibus, omnibus subobconicis; clava elongata, ovalis, acuminata.

Rostrum brevissimum, crassum, subporrectum, supra planum, carinatum, apice profunde triangulariter emarginatum.

Oculi aut laterales, aut subapproximati, suboblongi.

Thorax subtransversus, postice bisinuatus.

Elytra oblonga, subovata, supra modice convexa.

Descriptio: — *Corpus* elongatum l. oblongo-ovatum, alatum. — *Antennae* subtenues, longitudine dimidii corporis l. ultra, in apice rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° longissimo, ad thoracis medium pertin-

gente, valde arcuato, sensim incrassato, 2° et 3° longiusculis, 4-8 brevibus, omnibus subobconicis; clava elongata, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* brevissimum, crassum, subporrectum, capite vix angustius, infra subteres, supra planum, in medio carinatum, apice profunde triangulariter emarginatum, ciliis longis instructum; scrobe brevi, recta, ante marginem oculi anticum desinente. — *Oculi* aut laterales, aut subapproximati, suboblongi, modice prominuli. — *Thorax* longitudine latior, lateribus nonnihil rotundatus, antice truncatus, postice bisinuatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* triangulare, parvum. — *Elytra* oblongo-ovata, thorace duplo latiora et illo quintuplo longiora, dorso modice convexa, apice subrotundata, anum occultantia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales; femoribus clavatis, dentatis; tibiis teretibus, apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo lato, ciliato, ultimo biunguiculato.

Stirps 1ª. — Oculi laterales.

Typus: — Curc. curvicornis Fabr. l. passerinus Oliv. transmarinus Herbst. Congenerici: Curc. dentifer Fabr. — Mylloc. discolor nob.

Stirps 2ª. — Oculi subapproximati.

Typus: — Curc. viridanus Fabr., Oliv. — Huc etiam pertinent: Mylloc. musculus nob.

A μυλλὸς curvus, κέρας cornu.

Observatio: — Generi Sitonae haud dissimile, sed rostri antennarumque structura valde diversum.

Genus 97. Macrocorynus nob. — Curculio Oliv., Fabr.

Character generis: — Antennae mediocres, minus tenues; scapus capite longior, valde arcuatus, crassiusculus; articulo basali funiculi breviter obconico, crasso, 2° paullo longiore, sed angustiore, etiam obconico, reliquis brevibus, turbinatis; clava elongata, ovalis, acuminata.

Rostrum brevissimum, crassum, supra in medio impressum, apice late rotundato-emarginatum.

Oculi laterales, subrotundati.

Thorax transversus, antice posticeque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus.

Elytra oblonga, apice subrotundata.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, alatum. — *Antennae* thoracis basin vix superantes, in apice rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° capite paullo longiore, valde arcuato, crassiusculo, 2° breviter obconico, crasso, 3° longiore, etiam obconico, sed angustiore, reliquis brevibus, turbinatis; clava elongata, ovali, valde angusta, apice acuminata — *Rostrum* brevissimum, crassum, capite vix angustius, supra arcuatum, in medio longitudinaliter impressum, apice late rotundato-emarginatum, ciliatum; scrobe lata, basi profunda, subrecta, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* longitudine latior, antice paullo angustior, lateribus perparum rotundatus, basi apiceque truncatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* mediocre, triangulare. — *Elytra* oblonga, antice thoracis basi dimidio latiora, quo quadruplo longiora, humeri obtuse angulati; supra modice convexa; apice subrotundata, pygidium tegentia. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales; femoribus clavatis, dentatis; tibiis teretibus, apice dilatatis, muticis, pro receptione tarsorum excavatis; tarsis subtus distincte spongiosis, ciliatis, articulo primo elongato, trigono, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. discoideus Oliv. (dorsalis Fabr.?) nec plures hujus generis vidi.

A μακρὸς longus, κορύνη clava.

Observatio: — Simillimum est generi Mylloceri, sed antennae sunt validiores, rostrum apice late-rotundato-emarginatum, supra in medio impressum, thorax antice posticeque truncatus.

**) Genus 98. Phyllobius nob. Germ. — Olim Polydrosus Germ., Schönh., Dej., Billb. — Chrysus, Dascillus et Muranus Meg. — Curculio auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae longiusculae, aut subtenues, aut validiusculae; scapus thoracem subattingens, versus apicem sensim incrassatus; articulis basalibus funiculi longiusculis, obconicis, 3-7 brevibus, aut obconicis, aut nodosis; clava vel elongata; angusta, vel subovata, acuminata.

Rostrum breve, subteres; scrobs apicalis, brevis cavernosa.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax parvus, anterius subcoarctatus, lateribus rotundatus, supra in medio transversim convexus.

Elytra oblonga, thorace latiora, apice subrotundata.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, squamosum, mollinsculum, alatum. — *Antennae* thoracis basin superantes, versus apicem rostri insertae, aut subtenues, aut validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° anteriorem thoracis marginem plerumque tangente, versus apicem sensim incrassato, partim recto, partim nonnihil arcuato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, aut obconicis, aut nodosis, subaequalibus; clava vel elongata, angusta, vel ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis, quo paullo angustius, nonnumquam paullo brevius, subhorizontale, subteres, versus apicem aliquantulum incrassatum, apice profunde emarginatum; scrobe apicali, brevi, cavernosa. — *Oculi* majusculi, laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* parvus, longitudine latitudinem vix superans, anterius subcoarctatus, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra in medio transversim convexus, subtus integer. — *Scutellum* triangulare. — *Elytra* elongata, thorace sextuplo longiora et illo dimidio latiora, supra modice convexa, apice subrotundata, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* longiusculi, validi, subaequales; femoribus crassiusculis, plerumque apice dente magno, acuto subtus armatis; tibiis teretibus, apice muticis, anticis saepe intus sinuatis; tarsis longiusculis, subtus spongiosis, articulis 1, 2 oblongo-trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. — Antennae thoracis basin superantes, subtenues; articulis 2° et 3° longis, 4-8 sensim brevioribus, omnibus obconicis; clava elongata, angusta.

Typus: — Curc. Pyri Linn. — Congenerici: — Curc. calcaratus et oblongus Auctor. — Phyllob. psittacinus Germ. — et plures aliae.

Stirps 2a. — Antennae thoracis basin superantes, validiusculae; articulis 2° et 3° longiusculis, 4-8 brevibus, omnibus obconicis; clava elongata, ovata.

Typus: — Curc. argentatus Auctor. — Congenerici: Phyll. maculicornis Germ. — C. sinuatus Fabr. — Phyllob. herbeus et thalassinus nob.

Stirps 3a. — Antennae longitudine capitis thoracisque, validiusculae; articulo 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, nodosis; clava breviter ovata, acuminata.

Typus: — C. parvulus Fabr. Gyllenh. — Congenerici: C. viridicollis, Betulae, mali auctorum et multae aliae.

A φύλλον folium, βίω vivo.

Observatio: — Generi Polydrosi, cui quoad habitum simile, dissimile structura canaliculae antennalis rectae, non curvatae infra oculum.

Subdivisio 2a. — Thorax pone oculos lobis productis.

***) Genus 99. Cyphicerus nob. — Curculio Wied.

Character generis: — Antennae longae, validiusculae; scapus capite longior, valde arcuatus, crassus; articulo basali funiculi brevi, subobconico, 2° longissimo, subcylindrico, reliquis brevibus, subobconicis; clava elongato-ovata, acuminata.

Rostrum brevissimum, crassum, supra planum, in medio carinula parva elevatum, apice triangulariter emarginatum.

Thorax subtransversus, antice late emarginatus, lateribus nonnihil rotundatus.

Elytra oblonga, apice singulatim producta, obtuse acuminata.

Descriptio: — *Corpus* oblongum l. oblongo-ovatum, alatum. — *Antennae* thoracis basin superantes, in apice rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° capite longiore, valde arcuato, crasso, 2° brevi, subobconico, 3° longissimo, sublineari, 4-8 brevissime obconicis; clava elongato-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* brevissimum, crassum, capite vix angustius, supra planum, subimpressum, in medio carinula parva elevatum, apice triangulariter emarginatum, ciliatum; scrobe apicali, brevi, subcurvata. — *Oculi* laterales, subrotundati, subdepressi, magni. — *Thorax* longitudine latior, anterius vix angustior, antice late emarginatus, pone oculos lobatus, lateribus parum rotundatus, postice obsolete bisinuatus, supra modice convexus, subtus pone gulam, late sed non profunde emarginatus. — *Scutellum* mediocre, rotundatum, subelevatum. — *Elytra* antice thoracis basi dimidio latiora, quo quadruplo longiora, supra, praesertim posterius, convexa, apice singulatim subproducta, obtuse acuminata, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, validi, longitudine subaequales; femoribus clavatis, dentatis; tibiis teretibus, apice intus angulato-dentatis; tarsis subtus spongiosis, articulo basali oblongo, 2° trigono, 3° latiore bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. orbitalis Wiedem. — Congenericus: Cyphicer. nivosus nob. ambo e Bengalia — a Dom. Westermann Havniae benevole communicati mihi sunt.

A κυφὸς incurvus, κέρας cornu.

Observatio: — Statura et facies fere similis Mylloceri generi et Macrocoryni, structura vero thoracis antennarumque abunde differt.

Genus 100. Amblyrhinus nob.

Character generis: — Antennae mediocres, minus tenues; scapus capite longior, validus, subarcuatus; articulo basali funiculi longiusculo, obconico, reliquis brevibus, subaequalibus, subturbinatis; clava parva, ovata.

Rostrum brevissimum, supra planum, versus apicem angustius; scrobs latissima, profunda.

Oculi magni, subdepressi.

Thorax subconicus, lateribus subrectis, basi profunde bisinuatus, antice subemarginatus.

Elytra oblonga, pone medium latiora, apice subacuminata, supra parum convexa.

Descriptio: — *Corpus* parvum, oblongum, alatum. — *Antennae* longitudine capitis thoracisque, versus apicem rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° thoracis marginem anteriorem tangente, valido, subarcuato, versus apicem sensim incrassato, 2° longiusculo, obconico, sequentibus crassiore, reliquis brevibus, subaequalibus, subturbinatis, vel brevissime subobconicis; clava parva, ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* brevissimum, capiti subcontiguum, supra planum, versus apicem angustius, apice ipso triangulariter emarginatum; scrobe apicali, ante marginem anticum oculi desinente, latissima, profunda. — *Oculi* maiusculi, laterales, subrotundati, depressi. — *Thorax* postice longitudine fere latior, subconicus l. anterius multo angustior, ibique late emarginatus, pone oculos eminenter lobatus, lateribus subrectus, basi profunde bisinuatus, supra aliquantulum convexus. — *Scutellum* rotundatum, evidenter conspicuum. — *Elytra* oblonga, thorace quintuplo longiora, antice thoracis basi paullo latiora, humeri obtuse angulati; lateribus pone medium nonnihil ampliato-rotundata, versus apicem attenuata, supra dorso parum convexa, apice ipso subacuminata, pygidium tegentia. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales; femoribus in medio parum incrassatis, omnibus subtus dentatis; tibiis teretibus, anterioribus intus sub-bisinuatis, apice unco parvo intus armatis; tarsis subtus obsolete spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Amblyrh. poricollis nob. e Tranquebar: — magnitudo fere Curc. fulvicornis Fabr., sed paullo latior, nec plures species vidi.

Ab ἀμβλὺς obtusus, ῥίν nasus.

Observatio: — Generi Mylloceri proximum, forma vero antennarum rostri atque thoracis, aliorumque membrorum valde diversa.

(*Divisio* 7ª. Cyclomides. Rostrum breve, plus minusve crassum, subhorizontale l. subdeflexum, lineare, saepius teretiusculum, nonnunquam versus apicem subangulatum. Corpus breve l. subovatum, apterum; humeri rotundati l. obtusi.)

*) Genus 101. Episomus nob. — Curculio Fabr. Oliv., Sparrm.

Character generis: — Antennae mediocres, crassae; scapus incrassatus ad oculos pertingens; articulis duobus basalibus funiculi breviter obconicis, 3-6 brevioribus, subtransversis, apice truncatis, 1° duplo longiore, subcylindrico, clavae adpresso; clava parva ovata.

Rostrum breve, valde crassum, apice profunde emarginatum; scrobs subcurvata, ad oculum protensa, basi profunda.

Oculi parvi, rotundati, prominuli.

Thorax subcylindricus.

Elytra magna, ovata, supra valde convexa, praesertim posterius.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, durum, robustum, aut alatum, aut apterum. — *Antennae* crassae, thoracis basin vix tangentes, versus apicem rostri insertae, fractae, pilis brevibus, rigidis, raris obductae, 12-articulatae: articulo 1° valido, incrassato, subrecurvato, ad oculos pertingente, 2° et 3° brevibus, subtransversis, apice truncatis, 8° duplo longiore, subcylindrico; clavam fere incipiente eique adpresso; clava parva, paullo crassiore, subovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* breve, valde crassum; inaequale, supra in medio longitudinaliter impressum, apice subincrassatum, profunde emarginatum, ciliatum; scrobe subcurvata, medium oculorum attingente. — *Oculi* parvi, laterales, rotundati, valde prominuli. — *Thorax* latitudine vix

longior, elytris multo angustior, subcylindricus, antice truncatus, lateribus parum rotundatus, basi aut bisinuatus, aut subtruncatus, supra modice convexus, subtus pone gulam vix emarginatus. — *Scutellum* parvum, triangulare, nonnunquam rotundatum. — *Elytra* magna, ovata, dura, saepe connata, in medio thoracis basi duplo latiora, et illo triplo l. quadruplo longiora, supra, praesertim posterius, valde convexa, margine laterali inflexo, in medio sinuato, pygidium obtegentia; humeris obtusis. — *Pedes* longitudine subaequales, fortes; femoribus subclavatis, muticis; tibiis teretibus, anticis apice intus angulato-dentatis, posticis apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. avarus Fabr. l. Lacerta Oliv. Huc quoque referri possunt: Curc. Platina Sparrm. Act. Holm. — C. Echinus Fabr. — C. pauperatus Fabr.

Ab ἐπισώμος corpulentus.

Observatio: — Antennae crassae, clava parva et corpus robustum hoc praecipue distinguunt genus, quod praeterea omnino haud dissimile quoad habitum, subgeneri Cneorhini.

**) Genus 102. Pholicodes. nob.

Character generis: — Antennae longiusculae, tenues; scapus elongatus, thoracem attingens, subcurvatus, apice clavatus; articulis primis funiculi longiusculis, subclavatis, reliquis brevibus, subobconicis, clava elongata, ovalis.

Rostrum subhorizontale, breve, crassum, supra subplanum; scrobs apicalis, brevis.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax lateribus paullo rotundatus.

Scutellum minutum, tri-angulare.

Elytra oblongo-ovata, supra modice convexa.

Descriptio: — *Corpus* parvum, oblongo-ovatum, squamulosum, apterum. — *Antennae* capitis thoracisque longitudine, versus apicem rostri insertae, graciles, fractae, 12-articulatae: articulo 1° ultra oculos sese extendente, gra-

cile; apice clavato, paullo arcuato, 2° et 3° longiusculis, subclavatis, 4-8 brevibus, gradatim paullo brevioribus, subobconicis; clava elongata, subovali, acuminata, articulis quatuor subconjunctis. — *Rostrum* vix longitudine capitis eique subcontiguum, paullo angustius, subporrectum, sublineare, supra subplanum, crassum, apice triangulariter, non vero late emarginatum; scrobe apicali recta, brevi. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius subangustior, antice posticeque truncatus, lateribus parum rotundatus, supra modice convexus, subtus subinteger, nonnihil emarginatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* oblongo-ovata, antice thoracis latitudini aequalia, sed mox pone basin paullatim ampliata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, praesertim posterius; anum occultantia. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales, validi; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, ciliatis, articulo ultimo subclavato, bianguiculato.

Typus: — Pholic. plebejus nob. — Hujus generis duae tantum species e Caucaso, adhuc indescriptae, mihi cognitae.

A φολιχώδης squamatus.

Observatio: — Quoad formam externam Thylaciti generi simillimum, rostri vero antennarumque structura longe diversa.

Genus 103. Ptochus nob. — Omias Dej.

Character generis: — Antennae longae, validiusculae; scapus longus, sublinearis, parum recurvatus, thoracem attingens; articulis funiculi basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, apice subtruncatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum brevissimum, capite vix angustius, supra subplanum.

Frons subconvexa, lata.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax brevissimus, subcylindricus.

Elytra oblongo-ovata, convexa.

Descriptio: — *Corpus* parvum, oblongo - ovatum, apterum. — *Antennae* longitudine dimidii corporis, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° thoracis marginem anticum tangente, sublineare, versus apicem sensim perparum incrassato, paullo recurvato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, apice subtruncatis; clava oblongo - ovata, acuminata, indistincte articulata. — *Rostrum* brevissimum, vix capite longius, quo paullo angustius, subporrectum, supra subplanum, apice profunde emarginatum: scrobe apicali, subrecta, brevi. — *Mandibulae* elongatae, valde arcuatae, corneae, edentulae. — *Frons* lata, subconvexa. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* brevissimus, transversus, subcylindricus, lateribus parum rotundatus, basi apiceque truncatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* minutissimum, vix conspicuum. — *Elytra* oblongo - ovata, antice thoracis latitudini aequalia, sed mox pone basin paullo ampliata, posterius attenuata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, apice ipso rotundata, anum tegentia. — *Pedes* longiusculi, validiusculi; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice muticis; tarsis subtus vix spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo gracili, clavato, biunguiculato.

Typus: — Ptochus Porcellus nob. e Tauria. — Ejusdem generis est: Curc. inustus Steven seu Omias grandicornis Dej.

A πτωχὸς mendicus, pauper.

Observatio: — Generi Omiae proximum; sed differt: corpore magis elongato, rostro aliter constructo, scapo longiore, sublineari.

Genus 104. Stomodes nob.

Character generis: — Antennae longiusculae, validae; scapus supra oculos sese extendens, versus apicem sensim incrassatus; articulo basali funiculi longiusculo, obconico, reliquis brevibus, subturbinatis; clava oblongo - ovata.

Rostrum breve, crassum, subteres.

Oculi rotundati, subdepressi.

Thorax longus, lateribus ampliato-rotundatus.

Elytra oblongo-ovata, supra parum convexa.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, apterum. — *Antennae* capitis thoracisque longitudine, versus apicem rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, thoracis marginem anticum attingente, versus apicem sensim incrassato, paullo recurvato, 2° longiusculo, obconico, 3-8 brevissime subobconicis l. potius subrotundatis; clava oblongo-ovata, articulis quatuor arcte conjunctis. — *Rostrum* breve, vix capitis longitudine, eoque paullo angustius, crassum, subteres; scrobe apicali brevi, recta. — *Mandibulae* (sinistra nempe mihi visa) elongatae, valde arcuatae, corneae, edentulae. — *Oculi* laterales, rotundati, subdepressi. — *Thorax* latitudine medii longior, subovatus, basi truncatus, marginatus, lateribus aequaliter valde ampliato-rotundatus, apice truncatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* haud distinctum. — *Elytra* oblongo-ovata, antice thoracis basi paullo latiora, sed mox pone basin ampliata, posterius attenuata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, anum tegentia. — *Pedes* breviusculi, validi; femoribus valde clavatis, muticis; tibiis rectis, in medio latiusculis, apice muticis; tarsis elongatis, articulo penultimo latiore, bilobo, spongiis obsoletis, unguibus mediocribus, subclavatis, biunguiculatis.

Typus: — Stom. tolutarius nob. e Tauria hunc unum vidi.

A στόμωδης qui ore amplo est.

Observatio: — Affine generi Ptochi, cum vero 2us et 3ius antennarum articuli sint breviores, frons minus lata, et latera thoracis multo magis rotunda, construxi itaque hoc genus proprium.

Genus 105. Trachyphloeus Germ. Dej. Billb. — Curculio Linn. Fabr. Gyllenh. et plures alii.

Character generis: — Antennae breviusculae, crassiusculae; scapus crassissimus, ultra oculos extensus; articu-

lis funiculi basalibus breviter obconicis, primo crasso; reliquis brevissimis, transversis; clava parva, ovata.

Rostrum longitudine capitis, lineare, supra subplanum; scrobs elongata, subrecta, profunda.

Oculi rotundati, subdepressi.

Thorax transversus, basi apiceque truncatus, lateribus valde ampliato-rotundatus.

Elytra ampla, connata, subovata, supra modice convexa.

Descriptio: — *Corpus* parvum, ovatum, supra vage et breviter setosum, minus convexum, apterum. — *Antennae* thoracis basin vix attingentes, pone medium rostri insertae, crassiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° crassissimo, clavato, supra oculos sese extendente, 2° crasso, breviter obconico, 3° breviore, minus crasso etiam obconico, 4-8 brevissimis, transversis, subcoarctatis, lenticularibus; clava parva, ovata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis, lineare, apice distincte emarginatum, supra subplanum; scrobe elongata, subrecta, profunda, ad oculum protensa. — *Oculi* parvi, laterales, rotundati, subdepressi. — *Thorax* brevis, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus valde ampliato-rotundatus, supra parum convexus, inaequalis, subtus integer. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* ampla, subovata, connata, antice thoracis basi paullo latiora, quo quintuplo longiora, versus medium nonnihil ampliata, supra parum convexa, margine laterali inflexo, abdomen arcte includentia, anum tegentia. — *Pedes* breviusculi, validi; femoribus subclavatis, muticis; tibiis rectis, teretibus, omnibus apice intus angulatis, uncinatis et spinulosis; tarsis brevibus, articulo ultimo latiore, bilobo, subtus obsolete spongioso, ungue brevi, biunguiculato.

Typus: — Curc. scabriculus Auctor. — Ejusdem generis sunt: Trachyphl. spinimanus Germ. — Curc. Erinaceus Fabr. — Trachyphl, digitalis, aristatus et asphaltinus nob.

A τραχὺς asper, φλοῖος cortex, pellis.

Genus 106. **Omias** Germ. olim in litt. — Dej. — Curculio Fabr. — Bryssus Megerle. — Platyme-

topon Meg. — Peritelus et Trachyphloeus Germ. Ins. sp. nov.

Character generis: — Antennae longiusculae, saepius graciles; scapus elongatus, basi tenuis, apice clavatus; articulis primis funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, nodosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum deflexum, breve, crassum, subteres, supra versus apicem subtriangulariter fere impressum.

Frons plus minusve lata.

Oculi parvi, rotundati, prominuli.

Thorax parvus, angustus, lateribus rotundatus.

Elytra saepius ampla, breviter ovata, supra valde convexa.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, breve, aut subrotundatum, aut subovatum, saepius glabrum, pilosum, apterum. — *Antennae* in plerisque subtenues, in quibusdam validiusculae, fractae, capite thoraceque longiores, infra medium rostri insertae, 12-articulatae; articulo 1° elongato, basi tenui, apice clavato, paullulum recurvato, thoracis marginem anticum attingente, 2° et 3° longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, nodosis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis, subdeflexum, crassum, subteres, supra versus apicem late, fere triangulariter leviter excavatum l. impressum, apice ipso subemarginatum; scrobe superna, apicali, profunda, recta, brevi. — *Mandibulae* breves, crassae, corneae. — *Frons* plus minusve lata. — *Oculi* parvi, laterales, rotundati, parum prominuli. — *Thorax* parvus, saepius angustus, antice posticeque truncatus, supra convexus, subtus integer. — *Scutellum* in plerisque nullum, in paucis triangulare. — *Elytra* ampla, aut subglobosa, aut breviter ovata, in medio thorace duplo latiora, quo quadruplo longiora, supra valde convexa, pygidium occultantia. — *Pedes* mediocres, validiusculi, longitudine subaequales; femoribus valde clavatis, muticis, posticis in nonnullis dentatis; tibiis teretibus, apice intus subangulatis, truncatis, muticis; tarsis saepius

parvis, articulo penultimo paullo latiore, bilobo, ultimo clavato, gracili, subclavato, biunguiculato.

Stirps 1a. — Antennae subtenues; scapus curvatus. Frons latiuscula, subconvexa. Oculi modice prominuli. Tarsi minus lati, spongiae obsoletae.

Typus: — Curc. rotundatus Fabr. — Congenerici: C. holosericeus Fabr. — Curc. gracilis Beck. — Curc. puberulus Stev. — Omias Verrucula nob.

Stirps 2a. — Antennae subtenues; scapus subrectus. Frons lata, subdepressa. Oculi valde prominuli. Femora postica dentata; tarsi lati, subtus distincte spongiosi.

Typus: — Peritelus seminulus? Germ.

Stirps 3a. — Antennae validiusculae; scapus valde curvatus. Frons latiuscula, parum convexa. Oculi modice prominuli. Tarsi minus lati, spongiae obsoletae.

Typus: — Curc. gracilipes Panz. Fn. Germ..

Stirps 4ta. — Antennae validiusculae; scapus subrectus. Frons lata, convexa. Oculi valde prominuli. Tarsi minus lati, spongiae obsoletae.

Typus: — Om. glomeratus nob. n. sp. e Tauria.

Ab ὠμία humerus?

Observatio. — Magnam habet similitudinem cum insequente genere Periteli, cui quoque Illustriss Dom. Germ. in Ins. nov. spec., plures deinde adseruit species, quas tamen, ratione differentiarum sequentium distinguere volui.

Omias: — Corpus breve, subrotundatum, glabrum, pilosulum. Antennae saepius graciles, scapus basi tenuis, apice clavatus, articulis funiculi 3-7 exterioribus nodosis; rostrum subdeflexum, subteres, supra versus apicem leviter subtriangulariter impressum; oculi prominuli; tibiae minus crassae.

Peritelus. — Corpus breviter ovatum, squamosum. Antennae semper validae, scapus sublinearis, sensim incrassatus, articulis funiculi 3-7 exterioribus subturbinatis; rostrum subhorizontale, supra fere planum; oculi subdepressi; tibiae crassiusculae.

Genus 107. **Peritelus.** Germ. — **Pedanus** et **Centricnemus** nob. olim.

Character generis: — Antennae longiusculae, validae; scapus sublinearis, thoracis marginem anticum tangens, sensim incrassatus; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, subturbinatis; clava oblongo-ovatâ.

Rostrum subhorizontale, crassum, supra subplanum.

Oculi subdepressi.

Thorax brevis, anterius angustior, lateribus rotundatus.

Elytra ampla, subovata, supra convexa, praesertim posterius, margine laterali inflexo.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, squamosum, apterum. — *Antennae* capite thoraceque longiores, in apice rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae: articulo 1º ultra oculos sese extendente, valido, sublineari, sensim incrassato, subrecurvato, 2º, 3º longiusculis, subobconicis, 4-8 brevibus, apice truncatis, subturbinatis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* subhorizontale, crassum, longitudine capitis, saepius versus apicem paullo angustius, supra subplanum; scrobe superna, apicali, profunda, recta, oblonga. — *Oculi* laterales, subrotundati, subdepressi. — *Thorax* parvus, latitudine postica brevior, antice posticeque truncatus, lateribus paullulum rotundatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* ampla, subovata, connata, antice thorace paullo latiora, mox vero pone basin valde ampliata, thorace quintuplo longiora, supra valde convexa, praesertim posterius, margine laterali inflexo, abdomen arcte includentia. — *Pedes* mediocres, subaequales, validi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, crassiusculis, apice dilatatis, in nonnullis apice multi-spinosis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — **Peritelus sphaeroïdes** Germ. — Congenericus: **Perit. Leucogrammus** Germ.

Observatio: — Cfrtr. observatio ad genus praecedens: Omias.

Subgenus A. Holcorhinus nob.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, minus tenues; scapo capite longiore, subclavato; articulis primis funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, subturbinatis; clava oblongo-ovata. — *Rostrum* subporrectum, capite longius et illo angustius, subteres, supra subplanum, apice paullulum incrassatum, per incisuram arcuatam, transversam, profunde impressam, a fronte distinctum; scrobe apicali, lata, apice explanata. — *Oculi* prominuli, semiglobosi. — *Thorax* brevis, anterius angustior, antice posticeque truncatus, lateribus rotundatus, supra modice convexus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* subovata, connata, supra, praesertim posterius, convexa. — *Pedes* longiusculi, validi, subaequales; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, anticis apice intus subcurvatis, apice unco minuto intus instructis; tarsis longiusculis, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo valido, clavato, biunguiculato. — *Corpus* oblongo-ovatum, apterum.

Typus: — Peritelus (Holcorh.) hispidulus nob. Huc refertur: Perit. (Holcorh.) querulus nob. — Uterque ex Algier.

Ab ὁλκός sulcus, ῥιν nasus.

Observatio: — A Peritelis genuinis, quibus habitu similes sunt huc relatae species, praecipue distinguuntur: scapo antennarum basi tenuiore, aliterque rostro constructo, scrobe apice explanata, oculis prominulis et tarsis paullo longioribus. Hae discrepantiae, etsi notabiles, non tamen pro peculiare genere constituendo, haud sufficientes censeo.

Subgenus B. Pyctoderes. nob. — Curculio Sparrm.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres, validiusculae; scapo clavato, oculos superante; articulis funiculi basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, apice runcatis, gradatim paullulum latioribus; clava breviter ovata. — *Rostrum* breve, subteres, lineare, capite angustius, per impressionem transversam subdistinctum, scrobe superna, elongata,

profunda, apice deplanata, recta. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* brevis, latus, lateribus ampliato-rotundatus, apice subito angustatus, subcoarctatus, supra convexus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* ampla, ovata, coadunata, antice introrsum conjunctim subemarginata, supra valde convexa, versus apicem callosa. — *Pedes* mediocres, validi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, anticis apice intus angulato-subdentatis, posticis apice dilatatis, muticis, tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo elongato, clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Curc. Gallina Sparrm. Act. Holm.

A πυκτὸς plicatus, rugosus, δέρη collum.

Observatio. — Facie simile generi Thylaciti, sed scrobs aliter constructa.

Subgenus G. Oosomus nob.

Adumbratio; — Antennae mediocres, validiusculae, pone medium rostri insertae; scapo apice valde incrassato, oculos superante; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, subobconicis, illo crassiusculo, reliquis brevissimis, coarctatis, transversis, crassitudine parum crescentibus; clava ovata. — *Rostrum* capite longius et angustius, subteres, versus apicem subangustatum; scrobe superna, ante apicem incipiente; versus oculum explanata, angusta, profunda, recta. — *Oculi* rotundati, parum prominuli. — *Thorax* latitudine medii vix longior, lateribus in medio ampliato rotundatus, supra convexus. — *Elytra* ampla, coadunata, breviter ovata, supra valde convexa. — *Pedes* mediocres, validi; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice latioribus; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, ungue biunguiculato.

Typus: — Oosom. Harriolus nob. Huc quoque referri potest: Oosom. testatus nob. — Uterque e Cap. bonae spei.

Ab ὠὸν ovum, σῶμα corpus.

Observatio: — A subgenere Pyctoderis praecipue antennis paullo brevioribus, articulis brevissimis, coarctatis distinguitur.

Subgenus D. Phlyctinus nob.

Adumbratio: — Antennae longiusculae, subtenues; scapo valde elongato, clavato, recurvato; articulis basalibus funiculi longiusculis: 1° crassiusculo, 2° primo paullo longiore, reliquis brevibus, omnibus obconicis; clava oblonga, ovali, acuminata. — *Rostrum* capite paullo longius, subcylindricum, nonnihil arcuatum; scrobe superna, elongata, profunda, recta, ante oculum abbreviata. — *Oculi* laterales, rotundati, valde prominuli. — *Thorax* latitudine postica vix longior, antice posticeque truncatus, antrorsum angustior, lateribus modice rotundatus, supra convexus, subtus integer. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* ampla, subovata, antice introrsum subemarginata, supra versus apicem valde convexa, inaequalia. — *Pedes* mediocres, validi; femoribus valde clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice intus angulato-subdentatis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulo ultimo valido, biunguiculato. — *Corpus* breviter ovatum, apterum.

Typus: — Peritel. (Phlyctin:) callosus nob. n. sp. e Cap. b. spei.

A φλυκτὶς pustula, tumor.

Observatio. — A Peritelis genuinis, quibus habitu simillimum, praecipue antennarum, rostri oculorumque structura differt.

Genus 108. Cosmorhinus nob.

Character generis: — Antennae longae, subtenues; scapus valde elongatus, subfiliformis; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, obconicis, reliquis gradatim brevioribus, etiam obconicis; clava oblonga, ovalis, angusta.

Rostrum breve, crassiusculum, deflexum, teretiusculum, supra inaequale; scrobs superna, in medio rostri posita, brevis.

Oculi parvi, rotundati, subprominuli.

Thorax parvus, transversus, subconicus, supra convexus.

Elytra ampla, subglobosa, supra valde convexa.

Ungues tarsorum breves.

Descriptio: — *Corpus* parvum, breviter ovatum, brotundatum, apterum. — *Antennae* subtenues, longitune dimidii corporis, in medio rostri superne insertae, frate; 12-articulatae; 1° longissimo, verticem fere superante, bfiliformi, apice parum incrassato, subarcuato, 2° et 3° giusculis, obconicis, 4-8 extrorsum sensim brevioribus, am obconicis; clava oblonga, angusta, ovali, acuminata, articulata. — *Rostrum* breve, deflexum, longitudine cais, crassiusculum, teretiusculum, apice late emarginatum, incrassatum, supra antennarum insertionem, crista elea, longitudinali utrinque instructum, canaliculis antennaa profundis, brevibus, cavernosis, in latere superiore rolocatis, subapproximatis. — *Oculi* parvi, laterales, rodati, subprominuli. — *Thorax* parvus, brevis, antice lto angustior, subconicus, lateribus subrectis, basi apiue truncatus, supra convexus, subtus integer. — *Scutellum* lum. — *Elytra* ampla, subglobosa, antice quidem thoraci ualia, mox vero pone basin valde ampliata, thorace quaplo Iongiora, supra valde convexa, margine laterali in:o, anum tegentia. — *Pedes* mediocres, validi; femoriparum clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice dilatatis, nque angulato-dentatis; tarsis subtus spongiosis, articulo mo lato, binguiculato, unguibus brevissimis, biunguiatis.

Typus: — Cosmorh. cristirostris nob. e Cap. iae spei. Sub hoc genere unam tantum speciem vidi.

A κόσμος ornamentum, ῥὶν nasus.

Observatio. — Facie fere simile Thylaciti (Strososomo) Coryli, sed antennis rostroque valde diversum.

Genus 109. Sciobius nob. — Curculio Sparrm.

Character generis: — Antennae longissimae, gras; scapus valde elongatus, clavatus; articulo basali funii breviusculo, obconico, 2° longissimo, subfiliformi, 3-7 giusculis, subobconicis; clava elongata, valde angusta.

Rostrum breve, crassum, supra planum.

Oculi subrotundati, modice prominuli.

Thorax brevissimus, transversus, lateribus nonnihil rotundatus, supra modice convexus.

Elytra breviter ovata, supra valde convexa.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, apterum. — *Antennae* dimidio corpore longiores, versus apicem rostri insertae, maxime tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° ad basin tenui, extrorsum subclavato, parum recurvato, thoracis marginem anteriorem attingente, 2° breviusculo, obconico, 3° longissimo, subfiliformi, 4-8 longiusculis, subobconicis; clava elongata, valde angusta, 4-articulata. — *Rostrum* subhorizontale, breve, longitudine capitis, quo vix angustius, subangulatum, crassum, apice late emarginatum, supra planum, interdum carinatum, per strigam arcuatam impressam a fronte distinctum; scrobe superna, apicali, brevissima, pterygiis subdivaricatis. — *Oculi* laterales, subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* brevissimus, transversus, antice paullo angustior, subconicus, lateribus nonnihil rotundatus, antice posticeque truncatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* magna, breviter ovata, in medio basi thoracis plus duplo latiora, supra valde convexa, versus apicem subattenuata, margine laterali inflexo, abdomen arcte includentia. — *Pedes* mediocres, validi, subaequales; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bilobo, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Curc. Tottus α Sparrm. Act. Holm. — Ejusdem generis est. Curc. pullus Sparrm.

A σκιά umbra, βίω vivo.

Observatio. — Genus quoad habitum Otiorhynchi generi proximum fere est, antennarum vero structura longe diversa.

***) Genus 110. Cyclomus nob.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; scapus oculos superans, clavatus; articulis basalibus funiculi longiusculis, subobconicis, reliquis brevibus, subturbinatis; clava oblonga ovalis.

Rostrum brevissimum, crassum, subteres, apice subtruncatum, perparum emarginatum; scrobs apicalis, ad oculum protensa.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax latitudine longior, antice coarctatus, lateribus rotundatus.

Elytra ovata, supra convexa, versus apicem nonnihil attenuata.

Tarsi longiusculi, setosi, haud spongiosi.

Descriptio: — *Corpus* mediocris magnitudinis, ovatum, muricatum; pulvere sordido obductum, apterum. — *Antennae* thoracis basin fere attingentes, versus apicem rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculorum marginem superiorem attingente, paullulum recurvato, basi tenui, apice clavato, 2° et 3° longiusculis, illo clavato, hoc obconico, 4-8 brevibus, subturbinatis, vel subnodosis; clava oblonga, ovali, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Frons* lata, modice convexa. — *Rostrum* subdeflexum, capite fere brevius et illo paullo angustius, crassum, subteres, apice subtruncatum, perparum emarginatum, apertura oris ampla; scrobe apicali, obliqua, ad oculum protensa, lineari, lata, profunda. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine paullo longior, antice posticeque truncatus, antice paullo latior et intra apicem transversim coarctatus, lateribus rotundatus, supra modice convexus, subtus pone gulam emarginatus. — *Scutellum* vix perspicuum. — *Elytra* ovata, antice thorace paullo latiora, sed mox pone basin valde ampliata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, versus apicem nonnihil attenuata, apice ipso rotundata, margine laterali inflexo, in medio sinuato, abdomen arcte includentia. — *Pedes* validiusculi, postici paullo longiores; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis, subdilatatis, intus unco minutissimo instructis, tarsis longiusculis, angustatis, setosis subtus haud spongiosis, articulis 1, 2 oblongis, subtrigonis, penultimo haud latiore, bifido, ultimo elongato, clavato, unguibus acutis, validis. —

Typus: — Cyclom. inquinatus nob. — Congenerici: Cyclom. pollutus et lanugipes nob. omnes e Cap. bonae spei.

A κύκλος orbis ὦμος humerus.

Observatio: — Rostrum subdeflexum, crassum, teres, pedes postici longiusculi, subtenues, tarsi angustati, setosi, nec spongiosi, notas hujus generis bene distinctas praebent.

Subgenus Epichthonius nob.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, subtenues; scapo oculorum marginem inferiorem attingente, clavato; articulis funiculi obconicis, gradatim brevioribus, clava oblonga, ovali, acuminata. — *Rostrum* deflexum, capite paullo longius, crassum, teretiusculum, rectum, versus apicem sensim incrassatum; scrobe apicali, obliqua, versus oculum explanata, lata, sublineari. — *Frons* lata, parum convexa. — *Oculi* laterales, subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* antice paullo latior, juxta apicem ad latera coarctatus, lateribus rotundatus, lobis pone oculos magnis, obtuse triangulatis, productis. — *Elytra* subovata, convexa, versus apicem nonnihil attenuata, margine laterali inflexo. — *Pedes* longiusculi, postici paullo longiores; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis, muticis; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulo penultimo reliquis haud latiore, bilobo, ultimo elongato, clavato, unguibus acutis, validis.

Typus: — Curc. Simus Wiedem. in litt. e Cap. bonae spei.

Ab ἐπιχθόνιος qui super terram vivit.

Observatio: — Lobi thoracis producti et tarsi spongiosi ut et articulorum structura antennarum obconica, hoc subgenus a genere Cyclomi, cui caeterum simillimum, distinguunt.

Genus 111. Eremnus nob.

Character generis: — Antennae saepius longae, tenues; scapus elongatus, clavatus; articulis primis funiculi longiusculis, reliquis sensim paullo brevioribus, omnibus obconicis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum capite paullo longius et illo angustius, lineare, crassiusculum, subangulatum, supra subplanum.

Oculi majusculi, subrotundati, subdepressi.

Thorax transversus, supra modice convexus, versus apicem coarctatus, pone oculos lobatus.

Elytra oblongo-ovata, versus apicem subattenuata.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, apterum. — *Antennae* in plerisque tenues, longitudine fere dimidii corporis, in nonnullis paullo breviores, minus tenues, versus apicem rostri insertae, fractae, 12-articulatae; articulo 1° elongato, supra oculos pertingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, 4-8 gradatim brevioribus, omnibus obconicis; clava oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* subdeflexum, capite longius eoque angustius, crassiusculum, lineare, angulatum, supra planum, carinatum l. canaliculatum, apice ipso triangulariter emarginatum; scrobe apicali, brevi, recta, versus oculum explanata. — *Occiput* latum, subelevatum, transverse convexum. — *Oculi* majusculi, laterales, subrotundati, parum prominuli, subdepressi. — *Thorax* longitudine latior, basi truncatus, apice late emarginatus, pone oculos rotundato lobatus, lateribus parum rotundatus, supra modice convexus, versus apicem coarctatus, subtus pone gulam distincte emarginatus. — *Scutellum* aut nullum, aut minutum, triangulare. — *Elytra* coadunata, oblongo-subovata, thoracis basi dimidio latiora, quo quadruplo longiora, supra, praesertim posterius, convexa, lateribus nonnihil rotundata, versus apicem paullatim attenuata, margine laterali inflexo, in medio sinuato, abdomen arcte includentia. — *Abdomen* maris subtus versus basin et apicem impressum. — *Pedes* mediocres, validi, subaequales; femoribus valde clavatis, muticis; tibiis teretibus in plerisque rectis, apice muticis, in paucis anticis intus subbisinuatis, apice intus angulato-dentatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps: 1ª. Scutellum nullum; lobis thoracis pone oculos distinctis.

Typus: — Eremnus exaratus nob. — Congenerici: Eremn. obtusus et dentipennis nob. — omnes e Cap. bonae spei.

Stirps 2a. Scutellati; lobis thoracis obsoletis.

Typus: — Curc. setulosus Wiedem. in litt. e Cap. b. sp. — Huc etiam pertinet: Eremnus memnonius nob. ex Ins. Teneriffa.

Ab ἐρεμνὸς tenebrosus.

Observatio: — Habitu simile speciebus Stirpis 1mae subgeneris Cneorhini, sed antennae sunt longiores, articuli obconici, clava oblonga, angusta, canalicula antennalis recta.

****) Genus 112. Amycterus Dalm.

Character generis: — Antennae breviusculae, minus tenues; scapus elongatus, clavatus; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, subobconicis, 3-6 brevibus, lenticularibus, 7o longo, cyathiformi, clavam amplectente; clava turbinata, acuminata, articulis valde coarctatis.

Rostrum brevissimum, crassissimum, inaequale, apertura oris ampla.

Oculi subrotundati, parvi, immersi.

Thorax subrotundatus, supra parum convexus.

Elytra magna, oblonga, lateribus nonnihil rotundata, apice obtuse rotundata, supra modice convexa.

Descriptio: — *Corpus* magnum, oblongum, apterum, scabrum. — *Antennae* breviusculae, thoracis medium non superantes, pone medium rostri insertae, fractae, 12-articulatae: scapo clavato, sensim incrassato, subrecto, oculum superante, funiculo 7-articulato, parce setoso, articulis primis longiusculis, subobconicis, 3-6 brevibus, lenticularibus, 7o longo, versus apicem crassiore, cyathiformi, clavae basin amplectente, clava turbinata, acuminata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* brevissimum, vix capitis longitudine, crassissimum, inaequale, apice triangulariter late emarginatum, apertura oris ampla; mandibulis latissimis, valde convexis, subacetabuliformibus, margine interiore re-

cta; scrobe apicali, oblonga, subrecta, ante oculum abbreviata, profunda. — *Oculi* laterales, subrotundati, immersi, parvi. — *Thorax* subrotundatus, antice leviter bisinuatus; lobis pone oculos obtuse rotundatis; postice truncatus, lateribus valde rotundatus, supra parum convexus, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* minutum, immersum, triangulare. — *Elytra* magna, oblonga, antice latitudine thoraci subaequalia et illo quadruplo longiora; basi introrsum nonnihil coniunctim emarginata, lateribus usque ad apicem rotundata, pone medium latiora, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, subtus lateribus inflexa, abdomen arcte includentia. — *Pedes* breviusculi, postici paullo longiores, graciles; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, anticis apice intus angulo subdeflexo, crasso, obtuso armatis; tarsis subangustatis, articulis tribus primis subcordatis, subaequalibus, subtus canaliculatis, haud spongiosis, ultimo incrassato, biunguiculato, unguibus acutis, validis.

Typus: — Curc. mirabilis, Kirby in Linn. Trans. — Species unica e nova Hollandia, magna, facie aliena, rostri forma insolita et valde singulari.

Ab α priv. et μυκτὴρ nasus.

(*Divisio* 8a. Otiorhynchides. Rostrum breviusculum, crassiusculum, subhorizontale, apice dilatatum et incrassatum, supra subplanum, pterygiis apicalibus divaricatis; scapus antennarum, semper pone oculos sese extendens.)

Subdivisio. 1a. Thorax pone oculos non lobatus. Corpus apterum.

*) Genus 113. Otiorhynchus Germ. — olim Loborhynchus nob. Meg. — Brachyrhynchus Meg. — Pachygaster Germ. Dej. — Brachyrhinus Latr. — Simo Meg., Dej. — Micocerus Billb. — Curculio Linn. Fabr. Gyllenh. pluresque alii.

Character generis: — Antennae longae, saepissime subtenues, raro validae; scapus oculos superans; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, obconicis, reliquis aut

breviusculis, obconicis, aut brevibus, lenticularibus; clava vel oblonga, angusta, vel subovata, acuminata.

Rostrum apice incrassatum, dilatatum, pterygia apicalia divaricata; scrobs brevis, lata, versus oculum explanata.

Oculi rotundati, modice l. parum prominuli.

Thorax lateribus rotundatus, supra convexus.

Elytra connata, ovata, l. oblongo-ovata.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, apterum. — *Antennae* dimidii corporis longitudine, versus apicem rostri insertae, saepissime subtenues, raro validae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° thoracis marginem anticum semper attingente, aut recto, aut recurvato, clavato l. versus apicem sensim incrassato, nonnunquam crasso, subaequali, 2° et 3° longiusculis, obconicis, reliquis aut breviusculis, subobconicis, aut brevibus, lenticularibus, l. nodosis; clava aut oblonga, ovali, valde angusta, aut subovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite saepe longius, subhorizontale, teretiusculum, apice incrassatum, dilatatum, apice ipso emarginatum, pterygiis apicalibus, divaricatis; scrobe apicali, superna, brevi, lata, profunda, versus oculum explanata. — *Oculi* laterales, rotundati, aut modice, aut parum prominuli. — *Thorax* basi apiceque truncatus, lateribus in medio ampliato-rotundatus, supra convexus, subtus integer. — *Scutellum* minutum, triangulare, aegre observandum. — *Elytra* connata, oblongo-subovata, nonnunquam elongata, antice thoracis basi parum latiora, quo quadruplo l. quintuplo longiora, mox pone basin valde ampliata, versus apicem attenuata, margine laterali inflexo, abdomen arcte-includentia, apice ipso rotundata, anum tegentia, supra convexa, dorso interdum subplano; humeris rotundatis. — *Abdomen* in mare juxta basin concavum. — *Pedes* mediocres; subaequales, validi; femoribus clavatis, dentatis l. muticis; tibiis teretibus, anticis intus bisinuatis, saepius crenulatis, apice dilatatis, truncatis, intus denticulo horizontali instructis, vel muticis; tarsis subtus spongiosis, articulis duobus basalibus, trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. — Articuli antennarum 4-8 longiusculi, obconici; clava oblonga, valde angusta.

Manipulus 1s. Femora mutica.

Typus: — Curc. clavipes Oliv. l. Curc. tenebricosus Gyllenh.

Huc etiam pertinent: Otiorh. Rhacusensis Dej. Ahr. — Curc. Goerzensis Fabr. — planatus Fabr. — caudatus Ross. — cinifer Germ. — plumipes Germ. — sulphurifer Fabr. — ater Gyll. — fuscipes Oliv. cribrosus Germ. — scabricollis Germ. — Mastix Hellw. — Armadillo Ross. — multi punctatus Fabr. — et multo plures.

Manipulus 2s. Femora dentata.

Huc merito referenda sunt: Curc. Giraffa Germ. — sulcifrons nob. — lavandus Sturm. — Simo elegantulus Dahl.

Stirps 2a. — Articuli antennarum 4-8 breves, apice truncati; clava oblonga, ovalis.

Manipulus 1s. Femora mutica.

Huc pertinent: Curc. alutaceus Germ. — C. laevigatus Fabr. Gyll. — Ot. perdix Megerle, Germ. et multae aliae species.

Manipulus 2s. Femora dentata.

Huc quoque: C. gemmatus Fabr. — C. infernalis Germ. Curc. lepidopterus auctor.

Stirps 3a. Articuli antennarum 4-8 breves, aut transversi, aut subrotundati l. nodosi; clava ovata vel oblongo-ovata.

Manipulus 1s. Femora mutica.

Species huc pertinentes, sunt: Curc. orbicularis Fabr. — Maurus Gyllenh. — pertusus Meg. — raucus Fabr. — setosus Fabr. Gyll. — picipes Fabr. — hirticornis Gyllenh. — et plures aliae.

Manipulus 2s. Femora dentata.

Huc referuntur: C. Ligustici Auctor. — sulcatus — Fabr. Gyll. — Zebra Gyll. — Austriacus Fabr. — rugifrons Gyllenh. — ovatus Auctor. aliaeque plures.

Ab οὖς, ὠτός auris, diminutiv.: ὠτίον auricula, et ῥύγχος rostrum.

Observatio: — Hoc genus hujus familiae, plurimas habet species, quae plerumque habitu similes sunt. Dantur tamen paucae quaedam exceptiones, ex gr. Curc. perdix Oliv. Ent. 83 p. 375. 446. T. 31. f. 468, cui est corpus oblongum, elytra subdepressa; sed antennae, rostrum et plures praecipuae partes, non a reliquis hujus generis differunt. — Curc. hirticornis Hbst., Gyllenh. (Genus Simo Meg. Dej.) mihi videtur magis diversus, cui sunt antennae crassae, hirtae, scapus crassus, subaequalis, corpus oblongo-ovatum, at vero praeter has dissimilitudines minores, nullas quidem alias inveni tales, ut causa differentiae genericae viderentur, imprimis cum Curc. picipes, qui a reliquis hujus generis separari vix potest, sese ad praecedentem l. Curc. hirticornem appropinquet, et ab illis, qui antennas habent subtenues, ad paucos, qui antennis validis sunt, transgressum constituat.

Genus 114. Tylođeres nob. — Brius Megerle, Dej. — Curculio Herbst.

Character generis: — Antennae longae, subtenues; scapus versus apicem sensim incrassatus; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, obconicis, 2° paullo longiore, reliquis brevibus, lenticularibus; clava oblongo-ovata, articulo 1° longo, basi angusto.

Rostrum subelongatum, apice crassius, pterygia apicalia divaricata; scrobs suboblonga, cavernosa.

Oculi rotundati, subprominuli.

Thorax pulvinatus, supra convexus, lateribus in medio ampliato-rotundatus.

Elytra connata, oblongo-ovata, antice introrsum subemarginata, dorso subplana, versus apicem declivia, carinato-elevata.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, rigidum, scabrosum, apterum. — *Antennae* capite thoraceque longiores, versus apicem rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° capite longiore, recto, versus apicem sensim incrassato, 2° et 3° obconicis, quorum hic illo dimidio longior; 4-8 brevibus, lenticularibus, suboblongis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulo 1° longo, basi angusto. — *Rostrum* capite duplo longius, subhorizontale, teretiusculum, apice incrassatum, dilatatum, apice ipso profunde triangulariter emarginatum, pterygiis divaricatis; scrobe apicali, superna, oblonga, cavernosa. — *Oculi* laterales, rotundati, subprominuli. — *Thorax* latitudine longior, pulvinatus, basi apiceque truncatus, lateribus in medio ampliato-rotundatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* minutum, triangulare, indistinctum. — *Elytra* connata, oblongo-ovata, thorace quadruplo longiora, antice thoracis basi parum latiora, introrsum nonnihil conjunctim emarginata, et mox pone basin aliquantulum ampliata, sed versus apicem attenuata, dorso subplano; supra versus apicem gibba, carinato-elevata, declivia, apice ipso obtusa, anum tegentia, margine laterali inflexo. — *Pedes* mediocres, validi, postici paullo longiores; femoribus clavatis, muticis; tibiis subcompressis, in medio intus paullo latioribus, anticis intus subcrenulatis, omnibus apice unco horizontali, acuto intus armatis; tibiis subtus spongiosis, ciliatis, articulis 1, 2 subtrigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. chrysops Hbst. — hunc unum vidi.

A τύλος callus, cutis obdurata, δέρη collum.

Observatio. — Genus hocce Otiorhynchi generi simillimum; sed forma clavae antennarum et structura scrobis, elytrorum tibiarumque praecipue differunt.

Genus 115. Hyphantus Germ.

Character generis: — Antennae longae, tenues; articulis primis funiculi longiusculis, reliquis brevioribus, omnibus clavatis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum parum elongatum, apice crassum, pterygia apicalia divaricata; scrobs apicalis, oblonga, profunda.

Oculi rotundati, subprominuli.

Thorax globosus, pulvinatus.

Elytra connata, ovalia.

Pedes antici longiusculi; tibiae anticae intus denticulatae, apice arcuatae, unco valido armatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum valde convexum, durum, granulatum, apterum. — *Antennae* dimidii corporis longitudine, versus apicem rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° thoracem attingente, recto, 2° et 3° longiusculis, 4-8 gradatim brevioribus, omnibus clavatis; clava oblongo-ovali, 4-articulata. — *Rostrum* capite fere duplo longius, deflexum, teretiusculum, apice crassius, pterygiis apicalibus divaricatis; scrobe apicali, superna, oblonga, profunda. — *Oculi* laterales, rotundati, subprominuli. — *Thorax* latitudinis medio brevior, subglobosus, pulvinatus, basi petiolatus, subtus pone gulam emarginatus. — *Scutello* caret. — *Elytra* connata subovalia, thoracis medio haud latiora, quo duplo longiora, supra, praesertim versus apicem, valde convexa, lateribus rotundata, ad apicem attenuata, margine laterali inflexo, abdomen arcte includentia. — *Pedes* validi, antici longiores; femoribus clavatis, anticis subtus, forte in altero sexu, denticulo minuto armatis; tibiis sublinearibus, apice truncatis, anticis intus denticulatis, apice arcuatis, unco horizontali, valido, acuto intus instructis; tarsis longiusculis, subtus spongiosis, articulis duobus basalibus trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Hyphant. baccifer Germ. nec plures species vidi.

Ab ὑφαντός textus?

Observatio: — Generi Tyloderi affine, sed antennae magis tenues aliterque constructae sunt, thorax globosus, subtus pone gulam emarginatus, basi petiolatus, elytra ovato-globosa, tibiae magis teretes, anticae versus apicem intus curvatae, unco magno armatae.

Genus 116. **Elytrodon** nob.

Character generis: — Antennae mediocres, validiusculae; scapus oculos superans, clavatus; articulis basalibus funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, semi suborbiculatis, apice truncatis, gradatim latioribus; clava elongata, ovalis, apice subobtuso.

Rostrum breve, teretiusculum, crassum, pterygia apicalia modice divaricata.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax transversus, basi obsolete bisinuatus, lateribus valde rotundatus, supra parum convexus.

Elytra oblongo-ovata, ante apicem spina porrecta armata.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, apterum. — *Antennae* ad thoracis basin pertingentes, pone medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° capitis rostrique longitudine, recto, apice clavato, 2°, 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, aut semi suborbiculatis, aut subturbinatis, apice truncatis, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava elongata, subovali, subobtusa, 4-articulata. — *Rostrum* breve, crassum, teretiusculum, apice parum incrassatum, apice ipso paullulum emarginatum, pterygiis apicalibus parum dehiscentibus; scrobe apicali, recta, brevi, versus oculum explanata. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* longitudine latior, antice truncatus, lateribus in medio valde ampliato-rotundatus, postice obsolete bisinuatus, supra parum convexus, subtus integer. — *Scutellum* parvum, triangulare. — *Elytra* oblongo-ovata, humeri rotundati; thoracis basi vix latiora, sed illo quintuplo longiora, apice subacuminata, anum occultantia, supra subconvexa, ante apicem singulorum elytrorum spina valida, porrecta, margine laterali parum inflexo, versus apicem angulo obtuso instructo. — *Pedes* validi, subaequales; femoribus clavatis, dentatis; tibiis subcompressis, basi subtenuibus, anticis apice intus angulatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Curc. bidentatus Steven. Nova species e Tauria. Congenericus: Elytrod. bispinus, Thylacites idm Sturm ex Hungaria.

Ab ἔλυτρον elytrum, ὀδοὺς dens.

Observatio: — Genus quoad habitum Phytonomo fere proximum, scrobis vero antennarumque structura alia est.

Subdivisio 2da. Thorax pone oculos lobatus. Corpus alatum.

Genus 117. Phytoscaphus nob. — olim Cnemodon nob.

Character generis: — Antennae longiusculae, validiusculae; scapus capite longior, versus apicem sensim incrassatus, parum recurvatus; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, reliquis brevibus, omnibus obconicis; clava breviter ovata.

Rostrum subelongatum, apice incrassatum, dilatatum, pterygia apicalia divaricata.

Oculi subrotundati, depressi.

Thorax anterius angustior, lateribus rotundatus, supra convexus, pone oculos lobatus.

Elytra oblongo-ovata; humeri obtuse angulati.

Tibiae anteriores intus in medio angulo unciformi productae.

Descriptio: — ***Corpus*** **ovatum, alatum. —** ***Antennae*** **capite thoraceque longiores, versus apicem rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° thoracem attingente, versus apicem sensim incrassato, subrecurvato, 2° et 3° longiusculis, 4-8 brevibus, omnibus obconicis; clava 4-articulata, breviter ovata, acuminata. —** ***Rostrum*** **capite duplo longius, subhorizontale, teres, supra planum, subangulatum, apice incrassatum, dilatatum, apice ipso late, non vero profunde rotundato-emarginatum, pterygiis apicalibus divaricatis; scrobe apicali, superna, brevi, recta, versus oculum explanata. —** ***Oculi*** **majusculi, subrotundati, depressi, in fronte nonnihil approximati. —** ***Tho-***

rax latitudine longitudinem vix superans, anterius angustior, antice late emarginatus, pone oculos eminenter lobatus, basi subbisinuatus, lateribus parum rotundatus, supra convexus, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* distinctum, rotundatum. — *Elytra* thorace dimidio latiora, quo quadruplo longiora, oblongo-ovata, convexa, apice subacuminata, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, validi, aequales; femoribus clavatis, dentatis; tibiis subteretibus, anticis versus apicem intus curvatis, anterioribus intus in medio angulo unciformi producto, apice unco horizontali, valido, intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo cordato, bilobo, ciliato, unguiculo mediocri, clavato, biunguiculato.

Typus: — Phytoscaphus lixabundus n. sp. e Bengalia. Unam tantum speciem vidi.

Á φυτοςκάφος agricola, rusticus, hortulanus.

Observatio: — Genus hocce habitu generi Otiorhynchi appropinquat; cum vero instructus sit alis, scutello distincto, et tibiis anterioribus intus in medio angulo unciformi armatus sit, facile apparet differentia essentialis. — Structura thoracis et rostri hoc a generibus Myloceri et Cyphiceri, quibus alias simillimum est, distinguit.

Subgenus Chlöebius nob.

Adumbratio: — *Antennae* longitudine dimidii corporis, minus tenues, fractae; articulo 1° thoracis medium fere attingente, versus apicem sensim incrassato, subrecto, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, lenticularibus; clava oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* capite paullo longius eoque angustius, subteres, versus apicem incrassatum, dilatatum, pterygiis rostralibus subdivaricatis; scrobe apicali, cavernosa, brevissima, profunda. — *Oculi* sublaterales, ovati, depressi. — *Thorax* basi apiceque truncatus, pone oculos exigue lobatus, lateribus aequaliter rotundatus, supra in medio transversim modice convexus, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* rotundatum. — *Elytra* oblongo-ovata, thorace vix quadruplo longiora et illo dimidio latiora, supra modice convexa; humeris obtuse angulatis. —

Pedes longiusculi, validi, subaequales; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice unco acuto, minutissimo intus instructis; tarsis longiusculis. — *Corpus* parvum, oblongum, alatum.

Typus: — Chlöeb. immeritus nob. e Caucaso. Unam tantum speciem vidi.

A χλόη gramen, βίω vivo.

Observatio: — Subgenus hocce vix rite determinatum, generi Phyllobii valde propinquum est, sed differt: pterygiis rostralibus, subdivaricatis, oculisque ovatis, thorace subtus emarginato et pone oculos lobato, tibiis apice uncinatis.

(*Divisio* 9a. Tanyrhynchides. Rostrum perpendiculare, elongatum, sublineare. Scapus antennarum semper supra oculos extensus.

*) Genus 118. Tanyrhynchus nob.

Character generis: — Antennae longae, maxime tenues; scapus apice clavatus, supra oculos sese extendens; funiculo 7-articulato: articulis longiusculis, obconicis, gradatim brevioribus; clava elongata, ovalis.

Rostrum capite duplo longius, subfiliforme, lineare, arcuatum; scrobs elongata, supra ocularis.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax transversus, lateribus rotundatus, pone oculos sublobatus.

Elytra oblongo-ovata, convexa, antice introrsum paullo emarginata.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, apterum. — *Antennae* dimidii corporis longitudine, versus apicem rostri insertae, maxime tenues, fractae; 12-articulatae: articulo 1o apice clavato, supra oculos pertingente, reliquis septem longiusculis, obconicis, exterioribus sensim paullo brevioribus; clava elongata, angusta, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* elongatum, deflexum, capite duplo longius, teres, minus crassum, lineare, arcuatum, apice ipso subemargina-

tum; scrobe elongata, superna, subrecta, lineari, totum rostrum percurrente; ad oculum protensa. — *Oculi* majusculi, laterales, oblongi, depressi. — *Thorax* longitudine latior, anterius angustior, antice late emarginatus, nonnihil coarctatus, pone oculos sublobatus, lateribus valde ampliato-rotundatus, postice truncatus, supra modice convexus, subtus pone gulam emarginatus. — *Scutellum* minutum, vix conspicuum, in metathorace situm. — *Elytra* oblongo-ovata, thorace triplo longiora et illo parum latiora, antice introrsum subemarginata; humeri antrorsum subprominuli, rotundati; supra convexa, apice attenuata, subacuminata, pygidium tegentia, margine laterali inflexo, in medio sinuato. — *Pedes* mediocres, validi, subaequales; femoribus clavatis, anterioribus subdentatis; tibiis teretibus, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 subtrigonis, illo magno, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Tanyrh. terranus nob. Unam solummodo speciem vidi e Cap. bonae spei.

A *τανύω* extendo *ῥύγχος* rostrum.

Observatio: — Habitu generi Otiorhynchi simile, sed rostro satis longo, lineari, primo conspectu, distinguitur.

**) Genus 119. Myorhinus nob. — Rhynchaenus Steven.

Character generis: — Antennae longae, tenues; scapus clavatus, oculos superans; articulis primis funiculi longiusculis, reliquis gradatim brevioribus, omnibus subobconicis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum capite plus duplo longius, validum, valde arcuatum, supra gibbum, carinatum.

Oculi in fronte fere connexi, depressi.

Thorax transversus, pulvinatus, anterius angustior, lateribus rotundatus, elytrorum basi paullo angustior.

Elytra ovata, valde convexa, versus apicem declivia.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, breviter ovatum, convexum, apterum. — *Antennae* dimidii corporis longitudine, mox pone medium rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, supra oculos sese

extendente, 2° et 3° longiusculis, reliquis gradatim paullo brevioribus et paullulum latioribus, omnibus subobconicis, clava oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* deflexum, capite plus duplo longius, parum crassum, subcompressum, valde arcuatum, supra a basi ad antennarum insertionem alte elevato-carinatum, carina versus apicem bipartita; scrobe superna, recta, ab apice ad medium rostri ducta profunda, lineari, versus oculum lata, explanata. — *Mandibulae* parvae, convexae, intus concavae, obtuse bidentatae. — *Oculi* parvi, subapproximati in frontem convenientes, subrotundati, depressi. — *Thorax* longitudine latior, basi apiceque truncatus, anterius angustior, lateribus rotundatus, supra convexus, pulvinatus, subtus integer. — *Scutellum* vix conspicuum. — *Elytra* ovata, antice thoracis basi paullo latiora, sed mox pone basin valde ampliata, thorace triplo l. quadruplo longiora, supra convexa, versus apicem declivia, apice ipso subacuminata, anum occultantia, margine laterali inflexo. — *Pedes* mediocres, validi, subaequales; femoribus valde incrassatis, acute dentatis; tibiis subcompressis, intus bisinuatis, apice muticis, posticis apice extus obsolete penicillatis; tarsis subtus spongiosis, articulo 1° lato, subtrigono, 2° minuto, subrotundato, 3° latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Myorh. Steveni nob. — Rhynchaen. incrassatus Steven e Caucaso.

A μύω comprimo, ῥιν nasus.

Observatio: — Habitus, etsi paullo minor, similis est Thylacitidis Coryli. Structura rostri singularis est et oculi in frontem fere connexi, unde genus praecipue determinatur.

Legio 2ª. Mecorhynchi. (Rhynchaenides Fab.)

Rostrum cylindricum l. filiforme, plus minusve elongatum, raro thorace brevius. Antennae ante l. prope medium rostri, nec juxta sinum oris insertae.

Sectio 1a. Antennae articulis 11, 12; clava 4-articulata.

(*Divisio* 1a. Erirhinides. Pedes antici basi approximati.)

Subdivisio 1a. Scutellum plus minusve distinctum. Alati.

*) Genus 120. Lixus. Fabr. Gyll. Germ. Illig. Oliv. Dej. Billb. — Phoxus Billb. — Curculio Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae breviusculae, deflexae, tenues; funiculo 7-articulato, articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, 3-6 brevibus, apice truncatis, 7o crassiore, clavae adpresso; clava oblonga, fusiformis.

Rostrum elongatum, crassiusculum, teres l. cylindricum, subrectum, nonnunquam paullulum arcuatum.

Thorax oblongus, conicus, ad latera antica parum coarctatus, basi bisinuatus.

Elytra elongata, cylindrica, in nonnullis apice attenuata, acuminata, dehiscentia.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, cylindricum, saepe angustissimum, duriusculum, nonnunquam pulverulentum, alatum, (interdum apterum, ex. gr. Lix. ocularis). — *Antennae* thorace breviores, pone medium rostri insertae, deflexae, fractae, tenues, 12-articulatae: articulo 1o longo, clavato, oculos subattingente, eosdem vero nunquam superante, 2o et 3o longiusculis, obconicis, 4-7 brevibus; aequalibus, apice truncatis, 8o multo crassiore, clavam incipiente; clava oblonga, utrinque attenuata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* thorace paullo brevius, capiteque paullo angustius, crassiusculum, cylindricum, saepe rectum, interdum subarcuatum, plerumque laeve, rarius subcarinatum; scrobe infraoculari, curvata. — *Oculi* parvi, laterales, subovati, parum prominuli. — *Thorax* oblongus, antice angustior, ad latera antica parum coarctatus, basi bisinuatus, apice saepe truncatus, supra parum convexus, infra pone gulam emarginatus, pone oculos saepe sublobatus. — *Scutellum* minutum, triangulare, vix conspicu-

um. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, sed illo quadruplo longiora vel ultra, cylindrica, convexa, in pluribus apice attenuata, in spinam elongatam, acutam, extrorsum l. sursum flexam excurrentia, unde apices elytrorum dehiscunt; in aliis apice ipso rotundata. — *Pedes* longi, tenues, antici approximati; femoribus subcylindricis, saepius muticis; tibiis unco brevi, valido, corneo ad apicem intus armatis; tarsis saepe longiusculis, subtus spongiosis, articulo penultimo cordato, bilobo, unguibus validis.

Stirps 1a. (Genuini). — Rostrum longius, subcylindricum, laeve, plus minusve crassum.

Manipulus 1s. Elytra apice acuminata, interdum dehiscentia.

Typus: — Lix. paraplecticus Auctor. Congenerici: Lix. Sitta et impressus Sahlb. — Lix. Algirus, cylindricus, Ascanii Fabr. aliaeque plures.

Manipulus 2s. Elytra apice mutica l. rotundata.

Typus: — Lix. angustatus Fabr. — Congenerici: Lix. Bambalio Germ. — auriculatus Sahlb. — truncatellus, filiformis, Bardanae et crassipes Fabr. et multae aliae.

Stirps 2a. (Spurii) — Rostrum crassius, breviusculum, subcarinatum. Pedes robustiores. Alae interdum nullae.

Typus: — Curc. lividus Fabr. — Rhynchaen. ocularis Fabr. seu Lix. barbarus Oliv. — Nec plures novi.

Observatio: — A genere Cleoni praecipue differt: rostro antennisque magis tenuibus et forma aliter constructa, corpore etiam saepissime minus crasso.

Genus 121. Pacholenus nob.

Character generis: — Antennae breviusculae, tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevissime subobconicis; clava oblonga, fusiformis.

Rostrum elongatum, crassiusculum, teres, subarcuatum.

Thorax oblongus, antice in medio valde productus.

Elytra elongata, cylindrica.

Femora antica intus in medio angulo valido armata, producta.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, cylindricum, alatum, supra interdum setosum. — *Antennae* paullo ultra medium thoracis extensae, juxta medium rostri insertae, deflexae; tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevissime subobconicis; clava oblonga, utrinque attenuata, articulis quatuor arcte conjunctis. — *Rostrum* capite duplo longius et ultra, deflexum, crassiusculum, subarcuatum, teres; scrobe infra-oculari, curvata. — *Oculi* magni, subovati, infra caput fere connexi, paullulum prominuli. — *Thorax* latitudine longior, anterius subangustior, antice in medio cornu quasi obtuso, horizontali productus, basi subbisinuatus, supra parum convexus, pone oculos lobis productis, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* minutum, aegre observandum. — *Elytra* thorace fere latiora, quo quadruplo longiora, cylindrica, convexa, antice singulatim rotundata, apice aut obtuse rotundata, aut attenuata, subacuminata, producta. — *Pedes* antici robusti, approximati; femoribus intus in medio angulo, magno, valido, compresso, tibiam inflexam occultante armatis; tibiis compressis, latiusculis, curvatis; pedes posteriores tenues; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis rectis, his omnibus unco deflexo, valido, corneo, ad apicem extus armatis; tarsis spongiosis, articulo penultimo bilobo, unguibus validis, biunguiculatis.

Typus: — Pachol. pelliceus nob. — Congeneric. Pach. penicillus nob. — ambo e Brasilia.

A παχὺς crassus, ὠλένη brachium.

Observatio: — Quoad habitum aliquantisper simile est generi Lixi, sed maxime ab eodem antennis, oculis pedibusque differt.

Genus 122. Brachypus nob.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo basali obconico; cras-

siusculo, reliquis brevibus, subrotundatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, parum arcuatum.

Oculi subovati, depressi.

Thorax subconicus, antice posticeque truncatus, subtus integer.

Elytra elongata, subcylindrica, apice attenuata, acuminata, dehiscentia.

Unguli tarsorum brevissimi.

Descriptio: — *Corpus* parvum, elongatum, cylindricum, alatum. — *Antennae* capite rostroque fere longiores, infra medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, subrecto, clavato, 2° obconico, crassiusculo, reliquis brevibus, subrotundatis, subaequalibus, exterioribus sensim paullo crassioribus, ultimo clavae adnexo; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* thorace paullo longius, minus tenue, teres, parum arcuatum; scrobe obliqua, infra basin rostri desinente. — *Oculi* laterales, subovati, depressi. — *Thorax* oblongus, anterius angustior, antice posticeque truncatus, supra parum convexus, ante apicem depressus, depressus, infra antice integer, lobis ocularibus nullis. — *Scutellum* minutissimum, vix conspicuum. — *Elytra* thorace paullo latiora, sed illo fere quadruplo longiora, subcylindrica, parum convexa, versus apicem attenuata, non callosa, pygidium obtegentia, apice in spinam obtusam producta, unde apices elytrorum dehiscunt; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* breviusculi, validi, antici approximati; femoribus in medio crassis, muticis; tibiis rectis, crassiusculis, apice intus angulatis, anticis apice unco minutissimo, corneo, horizontali armatis; tarsis breviusculis, latiusculis, subtus spongiosis, unguibus brevissimis, biunguiculatis.

Typus: — Brachypus Lixoides nob. nec plures vidi.

A *βραχὺς* brevis, *ποῦς* pes.

Observatio: — Habitus et statura fere Lixi genuini generi est, sed antennarum, rostri aliarumque partium forma diversa.

Genus 123. **Larinus** Schüpp. Germ. — olim **Rhinobatus** Germar, Dej. — Billb. — **Lixus** Oliv. — **Rhynchaen.** Fabr. — **Curculio** Auctor. reliquor.

Character generis: — Antennae breves, deflexae, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, subobconicis, 4-7 brevibus, semirotundatis, 8° crassiore, clavam incipiente; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum teres, crassiusculum, plus minusve arcuatum, basi saepius subcarinatum.

Thorax longitudine latior, conicus, postice profunde bisinuatus, ad latera antica coarctatus, lobi pone oculos minuti.

Elytra ovata, supra convexa, dorsum subplanum, apice rotundato; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, aequale, parum exsculptum, saepius laevigatum et polline, praesertim in feminis, tectum, alatum. — *Antennae* thoracis medium pertingentes, infra medium rostri, in mare apicem propius insertae, deflexae, fractae, validiusculae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, oculos vix attingente, 2° et 3° longiusculis, subobconicis, 4-7 brevibus, semirotundatis, exterioribus sensim crassioribus, 8° multo crassiore, clavam quasi incipiente eique adpresso; clava oblongo-ovata, utrinque attenuata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* plerumque longitudine thoracis, et in feminis interdum paullo longius, teres, crassiusculum, plus minusve arcuatum, rarius rectum, basi saepius subcarinatum; scrobe infra-oculari, curvata. — *Oculi* laterales ovati, parum prominuli. — *Thorax* longitudine latior, conicus, antice truncatus, postice profunde bisinuatus, lobo scutellari producto, ad latera antica coarctatus, supra parum convexus, subtus pone gulam leviter emarginatus, lobis pone oculos minutis. — *Scutellum* minutum, triangulare, interdum vix conspicuum. — *Elytra* ovata, lati-

tudine baseos vix duplo longiora, posterius angustiora, apice rotundata, basi singulatim rotundato-producta, et saepissime thoracis basin obtegentia, supra convexa, dorso subplano; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, validi; antici approximati; femoribus crassiusculis; tibiis omnibus apice intus unco valido, horizontali armatis; tarsis subtus valde spongiosis, articulo penultimo cordato, bilobo, unguibus validis.

Typus: — Rhynchaen. Cynarae Fabr. Congenerici: — Rhynchaen. Onopordinis, Jaceae, planus et Ursus Fabr. — Lix. Carlinae, gravidus, Maurus, Buccinator, et Scolymi Oliv. — Curc. Vetula Fabr. — et plures aliae.

A λαρινὸς saginatus.

Observatio. — Genus videtur naturale, statura et facie Rhinocylli, a quo tamen abunde differt antennarum rostrique forma. A Lixo mox dignoscitur: thorace breviore, elytrisque basi multo latioribus quam posterius, dum contra Lixorum elytra saepius versus basin angustiora, quam in medio, sunt.

Subgenus Ileomus nob. — Larinus Germ. — Lixus Fabr. Illig. Oliv. — Rhinobatus Dej. — Curculio De Geer, Sparrm.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 2° saepius dimidio longiore basali, reliquis brevibus, exterioribus sensim crassioribus, omnibus subobconicis; clava oblongo-ovata, acuminata. — *Rostrum* capitis thoracisque fere longitudine, teres, crassiusculum, arcuatum, laeve. — *Thorax* longitudine latior, anterius angustior et juxta apicem valde coarctatus, postice profunde bisinuatus, lobo scutellari producto; in medio baseos impressus, pone oculos lobis minutis productis. — *Scutellum* parvum, triangulare, impressum. — *Elytra* oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, lobis thoracis basin obtegentibus, dorso antico impressa, versus apicem callosa; humeris obtuse angulatis, prominulis. — *Pedes* antici longiores et valde robusti; tibiae

apice unco valido intus armatae; tarsi longiusculi, subtus spongiosi. — *Corpus* oblongum, subinaequale, pulverulentum, alatum.

Typus: — Lix. pulverulentus Oliv. Curculio idm De Geer l. Lix. roreus Fabr. — Ejusdem generis sunt: Curc. Caffer. Sparrm. Act. Holm. 1785. Larinus (Ileomus) pacatus nob.

Ab ἰιλεώ coarcto, ὦμος humerus.

Observatio: Quoad staturam et faciem simile Larini generi, sed differt: articulo 3° antennarum saepius dimidio longiore 2°, atque elytris dorso antico impressis.

**) Genus 124. Heilipus Germ. — Pissodes Germ. Dej. — Rhynchaen. Oliv. Fabr.

Character generis: — Antennae mediocres, aut crassiusculae, aut subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, rotundatis; clava oblonga, ovalis, spongiosa, articulis arcte connexis.

Rostrum longitudine variat, in plerisque crassiusculum, in paucis subfiliforme, teres, subarcuatum.

Thorax anterius angustior, juxta apicem nonnihil coarctatus, basi sub-bisinuatus, pone oculos lobatus.

Scutellum apice rotundatum, distinctum.

Elytra oblonga l. oblongo-ovata, versus apicem callosa; humeri obtuse angulati.

Pedes validi; femora semper dentata; tibiae apice intus unco valido armatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, robustum, durum, alatum. — *Antennae* ultra thoracis medium pertingentes, pone medium rostri insertae, aut crassiusculae, aut subtenues, fractae, 12 articulatae; scapo seu articulo 1° oculos subattingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, aut subaequalibus, aut hic illo fere duplo longiore, 4° aut breviter obconico, aut rotundato, 5-8 brevibus, rotundatis; clava oblonga, ovali, subfusiformi, spongiosa, 4-articulata, articulis arctissime connexis. — *Rostrum* longitudine varians,

plerumque capitis thoracisque longitudine, teres, crassiusculum, arcuatum, saepe juxta apicem paullulum gibbum; in aliis longius, subfiliforme; scrobe infra-oculari, obliqua. — *Oculi* laterales, ovati, depressi. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius angustior et ad latera apicis nonnihil coarctatus, deinde subrotundatus, basi leviter bisinuatus, supra modice convexus; subtus pone gulam emarginatus, versus oculos plus minusve lobatus. — *Scutellum* aut oblongo-ovatum, aut apice rotundatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo triplo longiora, oblonga l. oblongo-ovata, basi subtruncata, supra convexa, versus apicem plus minusve callosa, pygidium obtegentia, apice ipso in plerisque subrotundata, in quibusdam acuminata, et in paucis apice deplanata et mucronata; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* longiusculi, robusti, antici approximati; femoribus in medio valde incrassatis, infra dente valido semper armatis; tibiis omnibus intus in medio dilatatis, apice unco valido, corneo, horizontali armatis; tarsis longiusculis, latis, spongiosis; unguibus validis; biunguiculatis.

Stirps: 1a. Funiculi duo articuli basales obconici, subaequales.

Typus: — Heilipus lactarius Germ. — Congenerici: Heilip. catagraphus, Pissodes onychinus, erythrorhynchus, prodigialis? et trachypterus Germ. — Rhynchaen. apiatus Oliv. — Rh. clavipes et multiguttatus Fabr. — et species multo plures, adhuc indescriptae.

Stirps 2a. Articulus 2s funiculi basali fere duplo longior.

Manipulus 1s. Elytra apice deplanata, mucronata.

Typus: — Heilipus spathulatus Germ. et plures aliae.

Manipulus 2s. Elytra apice subrotundata nec deplanata.

Typus: — Pissodes polymitus Germ. — Congenerici: Rh. oculatus Fabr., Heilipus cadivus Germ. — Heilip. myops nob. et species plures indescriptae.

Ab εἰλίπους flexipes.

Observatio: — Hocce genus quodam modo Lixi et Larini generibus affine, sed scutellum evidenter conspicuum, antennae paullo longiores, pedesque validi differentias praebent manifestas.

Genus 125. Orthorhinus nob. — Rhynchaenus idm Fabr. Hbst.

Character generis: — Antennae thoracis medium superantes, subtenues; articulo 1° longo, sublineari, 2° et 3° obconicis, 4-8 brevibus apice truncatis, clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, inferum, perpendiculare, cylindricum, omnino rectum.

Oculi parvi, ovati, depressi, in fronte subapproximati.

Thorax longus, juxta apicem coarctatus, antice in medio paullulum productus.

Scutellum minutum, distinctum.

Elytra oblonga, versus apicem callosa.

Pedes antici longiusculi; tibiae compressae, apice uncinatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, rigidum, scabrosum, alatum. — *Antennae* thoracis medium pertingentes, pone medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° longitudinem dimidiam totius antennae aequante, oculos tamen non attingente, tenui, sublineari, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, apice truncatis l. potius subrotundatis, exterioribus sensim paullo crassioribus, articulo ultimo clavae adnexo; clava 4-articulata, oblongo-ovata, articulis connexis. — *Rostrum* capite duplo longius, vel pro sexu amplius, crassiusculum, cylindricum, omnino rectum; perpendiculare, sub capite insertum; scrobe infra-oculari, lineari, obliqua. — *Oculi* parvi, subovati, depressi, in fronte subapproximati, oblique positi. — *Thorax* latitudine longior, anterius angustior et ad latera apicis coarctatus, deinde subrotundatus, basi subtruncatus, antice in medio parum productus, supra convexus, infra ante pedes anticos emarginatus, sed lobis pone oculos vix produ-

ctis. — *Scutellum* minutum, apice rotundatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi vix dimidio latiora, quo triplo longiora, sublinearia, basi truncata, supra convexa, versus apicem callosa, apice ipso rotundata, pygidium obtegentia. — *Pedes* robusti, antici longiusculi, approximati; femoribus anticis magnis, validis, pone medium crassiusculis, omnibus dente valido infra armatis; tibiis compressis, flexuosis, intus bisinuatis; apice unco valido, corneo, horizontali instructis; tarsis spongiosis, praesertim anticis latissimis, deplanatis, articulo 1° oblongo-trigono, 2° subquadrato 3° multo latiore, bilobo, unguiculari, clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. cylindrirostris Fabr. plures species haud vidi.

Ab ὀρθὸς rectus, ῥὶν nasus.

Observatio: — Generi Pissodis aliquatenus simile, differt vero rostro perpendiculari, cylindrico, omnino recto, pedibusque anticis valde elongatis, validis.

Genus 126. Paramecops nob. — Rhynchaenus. Fabr.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulo basali obconico, reliquis subperfoliatis, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava oblongo-ovata, crassiuscula.

Rostrum elongatum, crassiusculum, teres, sublineare, parum l. vix curvatum.

Oculi magni, oblongi, sub capite fere connexi.

Thorax antice angustior, subtus emarginatus.

Elytra oblongo-ovata, versus apicem callosa.

Pedes validi; tibiae apice intus unco minuto armatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, durum, (farina alba large obtectum,) alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, infra medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12 articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, subrecto, 2° brevi, obconico, reliquis subperfoliatis, utrinque pilosis, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava oblongo-ovata, crassiuscula, 4-articulata. — *Rostrum*

longitudine thoracis, crassiusculum, teres, sublineare, parum l. vix curvatum, supra in medio parum gibbum; scrobe infra-oculari, lineari, profunda, obliqua. — *Oculi* maximi, laterales, oblongi, perpendiculariter positi, sub capite fere connexi, paullulum prominuli. — *Thorax* latitudine longior, anterius angustior et ad latera apicis coarctatus, deinde subrotundatus, basi subbisinuatus, antice in medio paullo productus, supra convexus, infra pone gulam emarginatus, lobis pone oculos vix productis. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi dimidio latiora et illo triplo longiora, basi subtruncata, vel potius singulatim rotundata, supra convexa, versus apicem callosa, apice rotundata, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* validi, subaequales, antici approximati; femoribus clavatis, subdentatis; tibiis subrectis, teretiusculis, apice unco minuto armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo ultimo crassiusculo, biunguiculato.

Typus: — Curculio farinosus Wied. Unicam speciem vidi.

A παραμήκης oblongus, ὤψ oculus.

Observatio: — Generi Pissodis proximum est, oculis vero sub capite fere connexis, thorace subtus emarginato abunde differt.

Genus 127. Pissodes. Germ. Ins. nov. Spec. — Pissocles Dej. Catal. — Rhynchaen. Fabr. Gyllenh. et Auctor. plur. — Curculio Linné.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulo basali obconico, reliquis brevibus, apice truncatis, crassitudine crescentibus; clava ovalis.

Rostrum elongatum, tenue, arcuatum, teres.

Thorax antice multo angustior, postice bisinuatus, subtus integer.

Scutellum rotundatum, distinctum.

Elytra oblonga, versus apicem callosa; humeri obtuse angulati.

Pedes validi; tibiae apice intus unco valido armatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, durum, obscurum, maculis squamosis variegatum, subtus satis profunde punctatum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque vix longiores, pone medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° subrecto, clavato, oculos subattingente, 2° breviusculo, obconico, 3-8 brevibus, apice truncatis, exterioribus crassitudine gradatim crescentibus; clava 4-articulata, ovata, apice acuminata, crassiuscula. — *Rostrum* thoraci subaequale vel longius, tenue, arcuatum, teres; scrobe lineari, obliqua, pone canthum oculi inferum exeunte. — *Oculi* distantes, subovati, depressi. — *Thorax* longitudine vix latior, antice multo angustior, subtruncatus, ad latera antica coarctatus, postice bisinuatus, supra parum convexus, subtus integer, pone oculos non lobatus. — *Scutellum* parvum, apice rotundatum, elevatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, apice attenuata, rotundata, supra dorso parum convexa, postice callosa, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* validi, subaequales, antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretiusculis, unco valido subhorizontali, acuto intus instructis; tarsis breviusculis, latis, subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Pissodes Pini (Rhynchaen. idm Auct). — Congenerici: Piniphilus piceae Illig. — Rhynchaen. Hercyniae, notatus et piniphilus Gyll. Ins. Sv. — Pissodes nemorensis Germ.

A πιςςώδης piceus, resinosus.

Observatio. — Species hujus generis semper in truncis arborum resinosarum vitam degunt; quoad habitum aliquot speciebus generis Heilipi appropinquant, sed antennae breviores, crassiores, aliter constructae, et thorax subtus integer essentialiter hoc genus distinguunt.

Genus 128. Penestes nob. — Rhynchaenus Fabr.

Character generis: — Antennae mediocres, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus obconicis, 1° crasso, reliquis brevibus, transversis; clavâ magna, ovata, articulis arcte connexis.

Rostrum elongatum, validiusculum, arcuatum, teres.

Thorax anterius paullo angustior, pone oculos lobatus.

Elytra oblonga, versus apicem non callosa; humeri obtuse angulati.

Tibiae anteriores apice intus curvatae.

Ungues tarsorum breviusculi.

Descriptio: — *Corpus* parvum, oblongum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, pone medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae; articulo 1° subrecto, clavato, oculos subattingente, 2° et 3° breviusculis, obconicis, illo crasso, reliquis brevibus, transversis, crassitudine crescentibus; clava magna, ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* thoracis longitudine, crassiusculum, arcuatum, teres; scrobe infra-oculari, obliqua. — *Oculi* distantes, ovati, perpendiculariter positi, depressi. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius subangustior, antice late emarginatus, ad latera antica subcoarctatus, dein paullo rotundatus, postice leviter bisinuatus, supra convexus, infra pone gulam late emarginatus, lobis pone oculos parum productis. — *Scutellum* parvum, punctiforme. — *Elytra* thorace dimidio latiora et illo triplo longiora, suboblongo-ovata, basi subtruncata, apice attenuata, rotundata, supra dorso parum convexa, postice non callosa, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis, subprominulis. — *Pedes* validi, subaequales, antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis anterioribus apice intus curvatis, omnibus apice unco subhorizontali, acuto intus instructis; tarsis breviusculis, latis, subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ultimo brevi, clavato, biunguiculato.

Typus: Rhynchaen. Tigris Fabr. plures haud vidi.

A πενέστης servus, famulus.

Observatio: — Generi Pissodis proximum quidem est, abunde tamen differt: rostro crassiore aliterque constructo, thorace pone oculos lobato, elytris postice non callosis et unguilis tarsorum brevioribus.

Genus 129. Euderes nob.

Character generis: — Antennae breviusculae, validae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, quorum 1* longior est, reliquis brevibus, apice truncatis; clava ovata.

Rostrum elongatum, latiusculum, complanatum, arcuatum.

Oculi magni, ovales, depressi.

Thorax subconicus, basi leviter bisinuatus, infra ante pedes anticos fossula lata, semirotundata impressus.

Elytra elongata, subcylindrica, versus apicem callosa; humeri subprominuli.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, subcylindricum, alatum. — *Antennae* capite rostroque fere longiores, pone medium rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae; articulo 1° recto, clavato, oculos non attingente, 2 et 3 longiusculis, obconicis, illo longiore, reliquis brevibus, apice truncatis, crassitudine parum crescentibus; clava breviter ovata; 4-articulata, articulis distinctis. — *Caput* productum, convexum. — *Rostrum* longitudine thoracis, latiusculum, complanatum, arcuatum; scrobe pone medium incipiente, lineari, profunda, subrecta, versus marginem inferiorem oculorum exeunte. — *Oculi* laterales, ovales, depressi, oblique positi, satis magni. — *Thorax* longitudine fere latior, anterius angustior, subconicus, basi leviter bisinuatus, apice subtruncatus, in medio obsolete emarginatus, supra modice convexus (profunde multi-sulcatus,) pone oculos haud lobatus, infra pone gulam profunde, semirotundato-emarginatus, dein ante pedes anticos fossula etiam semirotundata impressus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi vix latiora et illo plus triplo longiora, subcylindrica, basi subtruncata; humeri antrorsum subprominuli; supra versus apicem callosa, apice ipso rotundata, anum tegentia. — *Pedes* breviusculi, validi, longitudine subaequales, antici subapproximati, femoribus in medio incrassatis, versus apicem dentatis; tibiis subsinuatis, omnibus apice truncatis, unco acuto, subhorizontali intus armatis; tarsis longiusculis, articulis duobus basalibus trigonis, illo longiore, penultimo lato, bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. lineicollis Wiedem. n. sp. e Cap. bonae spei. nec plures vidi.

Ab εὖ bene, pulchre, δέρη collum.

Observatio: — Quoad habitum generi Pissodis simile est hoc genus, sed ex rostro latiore, valde complanato, et fossula sub thorace ante pedes anticos fere ut in Cryptorhynchidibus impressa, differentia essentialis elucet.

Genus 130. Erirhinus nob. — Rhynchaenus Fabr. — Dej. Gyllenh. pluresque alii. — Notaris et Dorytomus Germ. in litt.

Character generis: — Antennae longiusculae, aut tenues; aut validiusculae; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, nodosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, longitudine varians, cylindricum, arcuatum, in plerisque subfiliforme.

Thorax anterius angustior, antice posticeque subtruncatus, lateribus in medio ampliatus, pone oculos plus minusve lobatus.

Elytra oblonga, versus apicem saepius callosa; humeri obtuse angulati.

Pedes mediocres; tibiae in plerisque rectae, anteriores apice unco minuto armatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque fere longiores, pone medium rostri insertae, aut tenues, aut validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, subrecto, clavato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, nodosis, subaequalibus; clava oblongo-ovata, apice acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine variat, capite thoraceque paullo longius vel plus, cylindricum, arcuatum, in plerisque subfiliforme; scrobe pone medium rostri incipiente, angusta, profunda, subrecta, ante marginem anticum oculi desinente. — *Oculi* majusculi, laterales, ovati, depressi. — *Thorax* latitudine longior, anterius angustior et vix coarctatus, lateribus in medio ampliatus, antice posticeque subtruncatus, supra modice convexus, subpulvinatus, infra pone gulam aut late

emarginatus, aut subtruncatus, pone oculos plus minusve lobatus. — *Scutellum* distinctum, triangulare. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi dimidio latiora, quo triplo l. quadruplo longiora, basi conjunctim subemarginata; humeris antrorsum prominulis, fere rectangulatis; supra modice convexa, versus apicem saepius subcallosa, apice ipso rotundata, pygidium obtegentia. — *Pedes* mediocres, validi, antici approximati, anteriores nonnunquam longiores; femoribus in medio incrassatis, aut armatis, aut muticis; tibiis in plerisque rectis, anterioribus apice unco minuto armatis; tarsis subtus spongiosis, unguibus validis.

Stirps 1a. — Articuli funiculorum basales longiusculi, obconici. Pedes mediocres; tibiae in plerisque rectae, anteriores apice unco minuto armatae.

Typus: — Rh. aethiops Auctor. — Congenerici: Rh. bimaculatus, acridulus et dorsalis auctor. — C. Rhamni Herbst. — Dorytomus petax Sahlb. — Rhynchaen. vorax, Tremulae, Tortrix, taeniatus, majalis et pectoralis Gyll. et species multo plures.

Stirps 2a. Articuli funiculorum basales brevissime obconici. Pedes longiusculi; tibiae omnes arcuatae, apice unco valido armatae.

Typus: — Rh. Festucae Auctor. — Congenerici: Rhynchaen. Nereis Gyllenh. — Curc. Nereis Payk.

A ῥὶν nasus et particula ἐρι significationem augente.

Observatio. — Pro hoc genere, numerum frequentissime in Europa occurrentium Curculionum longirostrium includente, nomen Rhynchaeni, a Fabricio quoque usitatum, esse conservandum, in animo antea fuit; cum vero Clairv. et Latr. hanc denominationem Orchaestidibus primum imposuerint, etsi eos pauci Entomologi hac in re secuti sint, veritus sum ne nomen Rhynchaeni, quod praecipue notionem Curc. longirostrium in genere explicat, jam generi peculiari impositum confusionis caussa esset, quare his nomen Erirhini proposui.

Illustr. Dom. Germar in observationibus, hanc familiam spectantibus, benevole mecum communicatis, huc relatas spe-

cies in duo genera, Notaris nempe et Dorytomus, distribuere conatus est; sed, ut mihi videtur, sufficientes hujus separationis characteres vix erui queunt.

Subgenus Grypidius nob. — Grypus Germ. in litt. — Arachipus Megerle in litt. — Rhynchaenus Fabr. Gyllenh. et Auctor. reliquor.

Adumbratio: — Antennae longiusculae, subtenues; articulo 1° oculos attingente, subrecto, clavato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, nodosis l. apice subtruncatis, aequalibus; clava oblongo-ovata. — *Rostrum* elongatum, tenue, arcuatum, cylindricum. — *Thorax* latitudine medii vix longior, lateribus aequaliter rotundatus, lobis pone oculos distinctis. — *Scutellum* suboblongum, elevatum, parvum, saepius aegre observandum. — *Elytra* subovata, humeri antrorsum subprominuli, obtuse angulati; dorso antico parum convexa, posterius saepius gibba, declivia. — *Pedes* validi, subaequales; tibiis teretiusculis, subrectis, apice intus angulatis, anterioribus unco minuto introrsum flexo armatis.

Typus: — Rhynchaen. Equiseti Auctor. Huc adnumerantur: Rhynchaen. atrirostris et brunnirostris Gyll. Herbst. — Rh. Sparganii Dahl. in litt.

A γρυπός qui naso est aquilino, incurvus.

Observatio: — subgenus hocce, etsi dubium, Erirhinis genuinis simillimum est, sed scutellum pusillum, saepe obsoletum, humeri prominuli et elytra gibbosiora, habitum diversum inducunt.

Quum Grypi jam diu tamquam nomen avis sit usitatum, denominationem quidem hujus generis a Dom. Germ. propositam, paullulum mutavimus.

Genus 131. Hydronomus. nob. — Rhynchaen. Gyllenh. — Curculio Marsh.

Character generis: — Antennae breviusculae, validae; funiculo 7-articulato: articulo 1° obovato, crasso, 2° elongato, obconico, reliquis nodosis, sensim extrorsum multo crassioribus; clava magna, breviter ovata.

Rostrum subelongatum, crassiusculum, subarcuatum.

Thorax angustus, antice late emarginatus, pone oculos lobatus.

Elytra oblonga, apice attenuata; humeri obtuse angulati.

Tibiae omnes arcuatae, apice unco valido armatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, minoris magnitudinis, alatum. — *Antennae* capite rostroque paullo longiores, pone medium rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, clavato, 2° obovato, crasso, 3° elongato, basi tenui, obconico, 4-8 brevibus, nodosis, coarctatis, exterioribus sensim multo crassioribus; clava magna, breviter ovata, 4-articulata. — *Caput* breve, retractum; frons inter oculos sulco abbreviato profunde impressa. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, paullo arcuatum, crassiusculum; scrobe obliqua, profunda, versus marginem oculi anticum desinente. — *Oculi* laterales, ovati, depressi. — *Thorax* angustus, subcylindricus, latitudine paullo longior, antice late emarginatus, margine subelevato, postice truncatus, supra parum convexus, lobis pone oculos productis. — *Scutellum* parvum, rotundatum. — *Elytra* antice thorace fere duplo latiora, quo plus triplo longiora, supra parum convexa, dorso antico depressa, apice subattenuata, abdomen tegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* elongati, tenues, antici approximati; femoribus in medio incrassatis; tibiis omnibus arcuatis, apice interiore unco valido armatis; tarsis elongatis, angustatis, vix spongiosis, articulo ultimo crasso, sublineari, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Alismatis Gyllenh. — Unum solummodo cognosco.

Ab ὕδωρ aqua, νομὸς pascuum.

Observatio: — A genere Bagoi, cui simile, praecipue differt thorace infra non canaliculato. — Supra aquam natans in plantis aquaticis versatur.

Genus 132. Brachonyx nob. — Rhynchaen. Gyll. — Rhinodes Dej. Sarapus Schüpp. — Dorytomus? Germ. in litt.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus

obconicis, 1° crasso, reliquis brevibus, nodosis; clava ovata.

Rostrum elongatum, tenue, arcuatum, teres.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax antice angustior, postice bisinuatus, subtus integer.

Elytra elongata, subcylindrica; humeri obtuse angulati.

Tibiae apice muticae; tarsorum unguli brevissimi.

Descriptio: — *Corpus* parvum, elongatum, alatum. — *Antennae* capite rostroque fere longiores, versus medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, apice arcuato, clavato, 2° incrassato, 3° angustiore, utrisque longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, nodosis; clava ovata, acuminata, articulis 4 arcte connexis. — *Rostrum* capite thoraceque fere longius, tenue, arcuatum, teres; scrobe lineari, obliqua, porte canthum oculi inferum exeunte. — *Caput* breve, latum. — *Oculi* distantes, rotundati, prominuli. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius subangustior, antice truncatus, lateribus rotundatus, postice leviter bisinuatus, supra modice convexus, infra antice integer, lobis ocularibus nullis. — *Scutellum* minutum, punctiforme. — *Elytra* thoracis basi paullulum latiora, quo vero quintuplo longiora, supra valde convexa, subcylindrica, postice non callosa, apice rotundata, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* breviusculi, validi, antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis latiusculis, subrectis, apice muticis; tarsis breviusculis, crassis, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, brevissimo, biunguiculato.

Typus: Rhynchaenus indigena Gyllenh. unam solum speciem vidi.

A βραχὺς brevis, ὄνυξ unguis.

Observatio: — Ratione faciei simile fere est hoc genus generi Erirhini nob., sed oculis rotundatis, prominulis, pedibus breviusculis tarsorumque unguibus brevissimis differt. Proximum quoque Bradybati generi, sed, praeter alias

discrepantias, funiculus antennarum in illo tantum 6-articulatus est.

Nomen Sarapus a Dom. Schüpp. huic generi impositum. Ab Illustr. Fischer (Ent. Mosq.) antea Histeri glabrato Fabr. (Sphaerites idm Duft. et Dej.) additum, quare aegre retinendum.

Genus 133. Bradybatus Germ. — Rhinodes Dej.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 6-articulato: articulo 1° majore, crasso, subquadrato, 2° obconico, reliquis brevissimis, subperfoliatis, exterioribus sensim crassioribus; clava crassa, oblongo-ovata.

Rostrum longiusculum, teres, subarcuatum.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax antice angustior, coarctatus, subtruncatus, basi leviter bisinuatus.

Elytra elongata, subcylindrica, pygidium tegentia.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, subcylindricum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, in medio rostri insertae, validiusculae, fractae, 11-articulatae: articulo 1° oculorum medium attingente, valde clavato, 2° magno, crasso, subquadrato, 3° angustiore, obconico, 4-7 brevibus, transversis, subperfoliatis, crassitudine crescentibus; clava crassa, oblongo-ovata, articulis quatuor arcte conjunctis. — *Rostrum* longitudine thoracis, validiusculum, teres, subarcuatum; scrobe recta lineari, brevi, oculos vix attingente. — *Caput* parvum, subelongatum. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* longitudine latitudinem vix superans, anterius angustior, antice truncatus, coarctatus, lateribus subrotundatus, postice leviter bisinuatus, supra convexus, infra pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* minutum, elevatum, punctiforme. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo quintuplo longiora, supra valde convexa, subcylindrica, postice subcallosa, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* breves, validi, posteriores paullo breviores, antici approximati; femoribus clavatis;

tibiis latiusculis, intus sinuatis, apice oblique truncatis, anterioribus unco minuto intus armatis; tarsis breviusculis, subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ultimo biunguiculato.

Typus: — Bradybat. Creutzeri Germ. Ins. sp. nov. — unam tantum speciem vidi.

A βραδὶς tardus, βάω eo, vado, scando, vel ab βατὸς pervius?

Observatio: — Habitu et statura generi Brachyonycis simile, differt vero funiculo tantum 6-articulato, capitis antennarumque forma, rostri et unguiculorum aliter constructa.

Genus 134. Derelomus nob. — Rhynchaenus Fabr.

Character generis: — Antennae longiusculae, tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus elongatis, obconicis, reliquis brevibus, subcylindricis, coarctatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, subtenue, arcuatum, teres.

Thorax anterius angustior, antice posticeque truncatus, lateribus subrotundatus, margines laterales subreflexi, inaequales.

Elytra oblongo-subovata, parum convexa.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, non nimis convexum, alatum — *Antennae* rostro capiteque fere longiores, pone medium rostri insertae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, tenui, apice clavato, oculos attingente, 2° et 3° longiusculis, obconicis, subaequalibus, reliquis brevibus, subcylindricis, coarctatis, extrorsum vix crassioribus; clava oblongo-ovata, apice acuminata, articulis 4-arcte connexis. — *Rostrum* capitis thoracisque longitudine, subtenue, teres, arcuatum; scrobe pone medium versus apicem incipiente, angusta, profunda, curvata, versus marginem oculi desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* longitudine latior, anterius valde angustior, basi apiceque truncatus, lateribus subrotundatus, marginatus, marginibus subreflexis inaequalis, supra parum

convexus. — *Scutellum* minutum, triangulatum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora et illo quádruplo longiora, parum convexa, oblongo-subovata, antice conjunctim paullatim emarginata, humeris obtuse angulatis; apice rotundata, pygidium tegentia. — *Pedes* mediocres, validiusculi, antici subapproximati, nonnihil distantes; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, teretibus, apice truncatis, muticis; tarsis mediocribus, subtus obsolete spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Chamaeropis Fabr. e Mus. I. Lund. — Congenericus: Derelom. ephippium nob. n. sp. patria me fugit.

A δέρη collum, λῶμα fimbria.

Observatio. — Speciebus nonnullis Generis Erirhini, (ex. gr. Rh. Tortrici Auctor.) similis, sed minor; antennarum vero diversa structura et thorax conspicue marginatus evidenter distinguunt.

Genus 135. Anthonomus Germ. (Magaz. IV. p. 320.) Dej. — Rhynchaenus Fabr. Gyllenh.

Character generis: — Antennae longae, tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, reliquis breviusculis, obconicis; clava elongata, angusta.

Rostrum longum, tenue, parum arcuatum, filiforme.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax subconicus, pone gulam late emarginatus.

Scutellum elevatum, distinctum.

Elytra oblongo-obovata, convexa, saepius ampla.

Pedes longiusculi, antici longiores; femora crassa, dentata.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, convexum, alatum. — *Antennae* dimidii corporis longitudine, pone medium rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, subrecto, clavato, 2° et 3° longiusculis, 4-8 breviusculis, obconicis; aequalibus; clava elongata, subangusta, apice acuminata, distincte 4-articulata. —

Rostrum dimidii corporis longitudine, tenue, filiforme, parum arcuatum, scrobe infra medium rostri incipiente, subrecta, versus marginem baseos oculorum anticum desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* subconicus, anterius valde angustatus, postice longitudinis latitudine, antice truncatus, basi subbisinuatus, angulis posticis saepius rotundatus, supra modice convexus, infra pone gulam late emarginatus, pone oculos non lobatus. — *Scutellum* aut oblongum aut rotundatum, plus minusve elevatum. — *Elytra* sat ampla, obovata, basi thoracis dimidio, posterius vero multo latiora, quo quadruplo longiora, supra valde convexa, praesertim posterius, apice obtuse rotundata, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* elongati, subgraciles, antici approximati; femoribus clavatis, anticis longioribus et crassioribus, versus apicem dentatis; tibiis anterioribus intus in medio dilatatis, apice unco minuto armatis, omnibus apice oblique truncatis; tarsorum articulis duobus basalibus triangularibus, subaequalibus, tertio latiore, bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. druparum Auctor. — Congenerici: Rhynchaen Ulmi Gyllenh. — avarus-pomorum et varians Fabr. — Rubi Herbst. et Gyllenh. pubescens Gyll. — et species plures aliae.

Ab ἄνθος flos, νομὸς pascator.

***) Genus 136. Erodiscus nob. — Lixus Fabr. — Rhynchaenus Oliv.

Character generis: — Antennae longae, subtenues; funiculo 7-articulato; articulis subobconicis, subaequalibus; clava oblongo-ovata.

Rostrum longum, filiforme, tenue, subrectum.

Oculi subapproximati.

Thorax subobovatus, posterius angustior.

Elytra oblongo-subovalia, convexa; humeri retusi.

Pedes validi, longiusculi.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, raro pilosum, alatum. — *Antennae* dimidii corporis longitudine, pone medi-

um rostri insertae, subtenues, fractae; scapo tenui, apice clavato, subrecto, oculos subattingente; funiculo 7-articulato: articulis subobconicis, 3bus basalibus apice subtruncatis, reliquis apice rotundatis; clava oblongo-ovata, 4-articulata, articulis connexis. — *Rostrum* dimidio corpore paullo longius, filiforme, tenue, subrectum, subdeflexum; scrobes lineares, in medio rostri incipientes, angustae, profundae; rectae, pone basin rostri subtus convenientes. — *Caput* rotundatum, convexum. — *Oculi* subovati, in fronte vero convenientes, depressi, magni. — *Thorax* latitudine longior, subobovatus, lateribus anticis rotundatus, posterius valde angustior, antice coarctatus, basi apiceque truncatus, infra pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* plus minusve distincte perspicuum. — *Elytra* oblonga, subovalia, convexa, antice thoracis basi vix latiora, humeris retusis, oblique subangulatis; lateribus usque ad apicem paullo rotundata, medio latiora, apice aut obtuse rotundata, aut truncata, singulatim argute acuminata, pygidium obtegentia. — *Pedes* validi, longiusculi, antici elongati, approximati; femoribus clavatis, subdentatis; tibiis omnibus apice aut unco valido, corneo instructis, aut muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo 1° elongato, 2° subtrigono, 3° latiore, bilobo, unguiculo parum clavato, biunguiculato.

Typus: — Erodiscus Ciconia nob. — Congenerici: — Lix. attenuatus Fabr. — Rhynchaen. disjunctus Oliv. (forte hujus generis.)

Erodiscus diminutivum ab ἐρωδιάς ardea, sic dictus ob rostrum longum, saepius subrectum.

Observatio: — Statura hujus generis valde singularis; rostrum enim longissimum, filiforme; thorax subobovatus, posterius angustatus, ab elytris remotus.

****) 137. **Balaninus** Germ., Dej. — Rhynchaenus Fabr. Gyll. — Curculio Linn. De Geer, Panz. et plures alii.

Character generis: — Antennae longae, graciles; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiuscu-

lis, reliquis brevibus, omnibus subobconicis; clava aut oblongo-ovata, aut breviter ovata.

Rostrum longissimum, filiforme, maxime tenue, arcuatum.

Thorax subconicus.

Elytra simul sumta subcordata, postice fastigiata; humeri prominuli.

Descriptio: — *Corpus* breviter ovatum, squamosum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque paullo longiores, pone medium (magis prope apicem) rostri insertae, graciles, fractae, reflexae, 12-articulatae; scapo reflexo, tenui, apice inflato, oculos attingente; funiculo 7-articulato: aut articulis magis elongatis, duobus basalibus subclavatis, reliquis obconicis; aut articulis minus elongatis, duobus basalibus obconicis, reliquis brevissime obconicis; clava aut conoïdea, distincte 4-articulata, aut ovata, articulis indistinctis. — *Rostrum* filiforme, valde tenue et arcuatum, maris interdum vix longitudine corporis, ante insertionem antennarum crassius; rostrum feminae interdum toto corpore fere longius; scrobe recta, pone medium incipiente, ante marginem anticum oculi desinente, basi angusta, lineari, versus apicem sensim dilatata. — *Caput* parvum, rotundatum, convexum. — *Oculi* rotundati, depressi, magni. — *Thorax* oblongus, subconicus, anterius angustior, coarctatus, basi leviter bisinuatus, supra convexus, infra pone gulam exigue emarginatus. — *Scutellum* rotundatum, elevatum. — *Elytra* antice thoracis basi latiora, quo duplo longiora, humeris prominulis; posterius valde angustata, conjunctim fere triangularia l. subcordata, apice fere singulatim rotundata, fastigiata. — *Pygidium* saepius nudum. — *Pedes* validi, longiusculi, antici approximati; femoribus clavatis, saepius dentatis; tibiis subcylindricis, apice rotundato-truncatis, excavatis, anterioribus unco minutissimo armatis; tarsorum articulis duobus basalibus triangularibus, subinflatis, penultimo dilatato, bilobo, spongioso, ungui brevi, parum clavato, biunguiculato.

Stirps 1[a]. (Genuini). Articuli funiculorum magis elongati, duo basales subclavati, reliqui obconici; clava conoïdea, distincte articulata. Pygidium ab elytris non tectum.

Typus: — Rhynchaen. Nucum. Auctor. — Congenerici: — Bal. venosus Germ. — Rh. villosus, Cerasorum et C. album Fabr.

Stirps 2a. (Spurii.) Articuli funiculorum minus elongati, basales duo obconici, reliqui brevissime obconici; clava ovata, indistincte articulata. Pygidium ab elytris fere tectum.

Typus: — Rhynchaen. Crux Auctor. — Congenerici: Rhynchaen Salicivorus Gyll. — Balanin. pyrrhoceras Germ.

A βάλανος glans.

Observatio: — Forma corporis subtriangularis et rostrum longissimum, maxime tenue, arcuatum hocce genus a caeteris determinant.

Genus 138. Amalus nob. — Rhynchaenus Gyllenh. — Curculio Herbst., Payk. Marsh.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; funiculo 6-articulato: articulis 3bus basalibus longiusculis, subobconicis, 1° crasso, reliquis subrotundatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum subtenue, cylindricum, arcuatum.

Thorax anterius angustior, convexus, postice bisinuatus, subtus integer.

Elytra subovata, convexa, abdomine breviora; humeri obtuse angulati.

Descriptio: — *Corpus* parvum, breviter ovatum, alatum. — *Antennae* rostri capitisque longitudine, pone medium rostri insertae, subtenues, fractae, 11-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, clavato, 2° obconico, crasso, 3 et 4 magis tenuibus, etiam obconicis, 5, 6, 7 subrotundatis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capitis thoracisque longitudine vel pro sexu magis, subtenue, cylindricum, arcuatum; scrobe infra-oculari, lineari, obliqua. — *Oculi* laterales, subrotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine brevior, anterius angustior, truncatus, lateribus subrotundatus, basi bisinuatus, in medio subproductus, supra valde convexus. — *Scutellum* vix

conspicuum. — *Elytra* ampla, oblongo-ovata, thoracis basi dimidio fere latiora, quo plus triplo longiora, modice convexa, apice obtuse rotundata, abdomine breviora, humeris obtuse angulatis. — *Pygidium* semirotundatum, nudum. — *Pedes* validiusculi, longiusculi, antici approximati; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis teretiusculis, rectis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo ultimo sat elongato, clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Scortillum Gyllenh. — Nullam praeter hanc speciem vidi.

Ab ἁμαλὸς tener.

Observatio: — Insectum respectu habitus Cryptorhynchis simile, sed defectus canaliculae pectoralis atque unius antennarum articuli absentia, proprii generis notas praebent.

Genus 139. Coryssomerus nob. — Poecilma Subdivis. A. Germ. — Rhynchaenus Beck.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis coarctatis, subglobosis, crassitudine paullulum crescentibus; clava ovata.

Rostrum elongatum, validiusculum, sublineare, arcuatum.

Oculi magni, rotundati, in fronte paullo approximati.

Thorax antice emarginatus, postice versus scutellum valde productus.

Elytra ovalia, apice singulatim obtuse rotundata, abdomine paullo breviora.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, supra minus convexum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, in medio rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, clavato, 2° et 8° longiusculis, obconicis, 4-8 coarctatis, subglobosis, exterioribus paullulum crassioribus; clava subovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capitis thoracisque longitudine, validiusculum, teretiusculum, sublineare, valde arcuatum; scrobe subtus flexa

in gulam exeunte. — *Caput* convexum, subporrectum. — *Oculi* rotundati, modice prominuli, in fronte paullo approximati, magni. — *Thorax* longitudine latior, anterius angustior, ibique late emarginatus, coarctatus, lateribus apice rotundatus, ante scutellum in lobum latum productus, supra parum convexus, infra pone gulam non emarginatus. — *Scutellum* rotundatum, elevatum, parvum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo triplo longiora, posterius angustata, humeris obtuse angulatis; supra parum convexa, versus apicem subcallosa, apice ipso singulatim obtuse rotundata. — *Pygidium* nudum, semirotundatum. — *Pedes* breviusculi, longitudine aequales, validiusculi, antici approximati; femoribus in medio valde incrassatis, dente valido instructis; tibiis breviusculis, validiusculis, subcylindricis, basi curvatis, apice unco valido armatis, tarsis angustis, articulis duobus basalibus subelongatis, subtriangularibus, 3º bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo gracili, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Capucinus Beck. Beytr. — nec plures species vidi.

A κορύσσω armo, μηρὸς femur.

Observatio: — *Tychii* generi aliquatenus similitudine accedit, abunde tamen differt: capite subporrecto, oculis in fronte subapproximatis, thorace posticé lobato, elytrisque apice singulatim rotundatis. Celeb. Dom. Germ. hoc insectum sub genere suo Poecilma ponit, at vero similitudinem quandam cum reliquis conspeciebus vix habere videtur.

Genus 140. Hydaticus nob. — Rhynchaenus Gyllenh. Beck. — Ceutorhynchus Fam. 3a Germ.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues, funiculo 6-articulato: articulis tribus basalibus longiusculis, subobconicis, reliquis subnodosis, omnibus coarctatis; clava oblongo-subobovata.

Rostrum breviusculum, crassum, arcuatum.

Oculi magni, subrotundati, prominuli.

Thorax transversus; anterius angustior, convexus.

Elytra ampla, breviter ovata, abdomine breviora.

Descriptio: — *Corpus* breviter ovatum, convexum, durum, alatum. — *Antennae* rostri capitisque longitudine, pone medium rostri insertae, subtenues, fractae, 11-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, basi magis tenui, versus apicem paullatim crassiore, 2° elongato, crassiusculo, subobconico, 3° et 4° angustioribus, etiam obconicis, 5, 6 et 7 subnodosis, omnibus coarctatis; clava elongata, oblongo-subobovata, acuminata, articulis arctissime connexis, vix conspicuis. — *Rostrum* capite duplo longius, crassum, teres, arcuatum; scrobes curvatae, in basin rostri subtus coëuntes. — *Oculi* laterales, sat magni, subrotundati, prominuli, margine versus frontem elevato. — *Thorax* longitudine latior, anterius angustior, dein subrotundatus, posterius latior, antice truncatus, postice profunde bisinuatus, supra convexus, inaequalis, saepius tuberculatus, infra pone gulam aut truncatus, aut emarginatus, haud canaliculatus. — *Scutellum* minutissimum, depressum, observantu difficile. — *Elytra* ampla, thoracis basi dimidio latiora, quo vix triplo longiora, supra convexa, apice obtuse rotundata, abdomine breviora; humeris obtuse angulatis, subrotundatis. — *Pygidium* subtriangulare, nudum. — *Pedes* longiusculi, validiusculi, subaequales, antici approximati; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice truncatis, muticis; tarsi in nonnullis tibiis parum breviores, angustati, setosi, haud spongiosi, articulis duobus, primis obconicis, 3° brevi, subnodoso, apice emarginato, ultimo sat longo, parum clavato, unguibus duobus validis; in caeteris articulis minus angustatis, duobus basalibus triangularibus, tertio dilatato, bilobo, subtus spongioso, unguiculo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. — Tarsi longiusculi, angustati, articulo penultimo brevi, subnodoso, apice emarginato.

Typus: — Rhynchaen. velatus Beiträge zur Baier. Ins. Faun.

Stirps 2a. — Tarsi longiusculi, articulo penultimo angustato, bilobo.

Huc adnumerantur: — Rhynchaen. Myriophylli Gyll. Ins. Sv. — Curc. leucogaster Marsh.

Stirps 3a. — Tarsi minus longi, articulo penultimo latiore, distincte bilobo, subtus spongioso.

Huc pertinent: Ceutorhynch. notula Germ. — Rhynchaen. 4-nodosus et Comari Gyllenh.

Ab ὑδάτιον aquula seu simpliciter aqua; diminutiv. ab inusitato ὕδας pro ὕδωρ aqua.

Observatio: — Respectu habitus inter hujus generis species et Ceutorhynchum quaedam intercedit similitudo, evidenter tamen distinguuntur funiculo antennarum 6-articulato, thorace subtus haud canaliculato. [H. velatus, observante Dom. Beck, celere natat et sub aqua quoque sese mergit. Hunc Celeb. Germar. inter Zanichellias palustres, plerum quenatantem invenit, sicut etiam Donaciam Equiseti.] Pedum structura hujus speciei a reliquis nonnihil abhorret, et omnes praeterea, quoad mihi cognitum, vitam in plantis aquaticis degunt. Sunt quidem nonnullae etiam species Baridii generis, quarum pedes pariter seu natatorii sunt constructae, unde omnes quae sunt generis Hydatici sub uno genere collocandi causa mihi sufficiens fuit.

Genus 141. Anoplus Schupp. Germ. in litt., Dej. — Rhynchaen. Gyllenh. — Curculio Naetzén.

Character generis: — Antennae breves, validiusculae; articulo 1° oculos attingente, 2° obovato, crasso, 3-8 brevibus, subperfoliatis, coarctatis; clava ovata.

Rostrum crassum, parum arcuatum.

Thorax apice attenuatus, parum coarctatus, postice bisinuatus.

Elytra ovata, convexa.

Tarsi mutici, unguli omnino nulli.

Descriptio: — *Corpus* parvum, breviter ovatum, convexum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, prope medium rostri insertae, validiusculae, 12-articulatae: articulo 1° crassiusculo, clavato, oculos attingente, 2° obovato, crasso, 3-8 brevibus, subperfoliatis, coarctatis, exterioribus sensim crassioribus; clava ovata, 4-ar-

ticulata, articulis connexis. — *Rostrum* feminae vix longitudine thoracis, maris paullo brevius, deflexum, crassum, perparum arcuatum; scrobe infra-oculari, obliqua. — *Oculi* laterales, rotundati, depressi, remoti. — *Thorax* latitudine fere longior, antice multo angustior, truncatus, ad latera antica paullulum coarctatus, basi bisinuatus, supra convexus. — *Scutellum* parvum, rotundatum. — *Elytra* ampla, thoracis basi multo latiora, quo quadruplo longiora, breviter ovata, supra valde convexa, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, validi, antici approximati; femoribus subclavatis, muticis; tibiis feminae omnibus apice interiore unco armatis; tarsis validis, ciliatis, subtus spongiosis, articulo penultimo dilatato, cordato; ungulis omnino caret.

Typus: — Rhynchaen. plantaris Gyll. Ins. Sv. — plures species haud vidi.

Ab ἄνοπλος inermis.

Observatio: — Quoad formam Orchestidum generibus simile, defectu vero unguium a consociis distinguitur. Hoc quoque insectum ad saltatorios retulit Dom. Gyllenh., at equidem saltantem nunquam observavi.

Genus 142. Tychius Germ. in litt. — Sibinia Dej. — Rhynchaenus Fabr. Gyllenh.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulis duobus l. tribus basalibus longiusculis, obconicis, 1° crassiusculo, reliquis brevibus, apice truncatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, arcuatum, aut crassiusculum, apice paullo attenuatum, aut subtenue, sublineare.

Oculi magni, subrotundati.

Thorax transversus, antrorsum angustior, lateribus saepius valde, nonnunquam minus rotundatus.

Elytra subovalia, modice convexa.

Pedes breviusculi, validiusculi; tibiae breves, compressae.

Descriptio: — *Corpus* parvum, oblongo-ovatum, squamosum, alatum. — *Antennae* thoracis medium vix superantes, inter medium et apicem rostri insertae, fractae, validiusculae, 12-articulatae: articulo 1º oculos non attingente, clavato, 2º et 3º, nonnunquam etiam 4º longiusculis, obconicis, illo crassiusculo, reliquis coarctatis, saepius brevibus apice subtruncatis; in aliis subglobosis, exterioribus non nimis crassioribus; clava oblongo-ovata, 4-articulata, articulis connexis. — *Rostrum* thoracis longitudine, vel saepius longius, arcuatum; aut crassiusculum, versus apicem sensim paullulum angustatum et supra deplanatum, acutum, aut sublineare, subtenue; scrobes ante medium lateris incipientes, sensim subtus flexae, in inferiore rostro coëuntes. — *Caput* parvum, orbiculatum. — *Oculi* magni, laterales, subrotundati, aut prominuli, aut subdepressi. — *Thorax* transversus, aut apice statim angustatus, coarctatus, lateribus valde subaequaliter ampliatus, angulis posticis rotundatus, supra pulvinatus; aut anterius modice angustatus, vix coarctatus, lateribus parum rotundatus, supra parum convexus, basi saepe bisinuatus, infra pone gulam vel late emarginatus, vel subtruncatus, pone oculos nonnunquam lobatus. — *Scutellum* parvum, triangulare, depressum, plus minusve distinctum. — *Elytra* ovalia, thoracis medio paullo latiora, quo triplo longiora, convexa, basi in plerisque subtruncata, in ceteris conjunctim subemarginata; humeris antrorsum subprominulis, obtuse angulatis. — *Pygidium* saepe aliquantulum prominens. — *Pedes* breviusculi, validiusculi, antici approximati, longitudine aequales; femoribus clavatis, crassis, interdum dentatis, tibiis brevibus compressis, apice truncatis, excavatis, intus angulosis, unco minuto armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo unguiculari parum clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. — Rostrum versus basin crassius, apice paullulum attenuatum.

Typus: — Tychius 5-punctatus, Rhynchaen. Idm Auctor. — Congenerici: — Rh. venustus et picirostris Gyll. — Curc. junceus Reich.

Stirps 2a. Rostrum subtenue, sublineare.

Typus: — Rhynchaen. Carpini Herbst. et Gyll. (nec Fabr.) — Curc. Jungermanni Reich. — Curc. pernix Creutz. — Rh. auritus Illig. in litt.

A τεύχω fabricor?

Observatio: — Genus Tychius forma rostri, funiculo 7-articulato, corpore oblongo-ovali et squamoso a Sibynis genere facile dignoscitur.

Subgenus Miccotrogus nob. — Heptaphilus Megerle. — Sibinia Germ. — Curculio Panz.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, validiusculae, 11-articulatae; scapo elongato, clavato; funiculo 6-articulato: articulo 1° et 2° longiusculis, obconicis, illo crassiusculo, 3-6 subglobosis; clava crassa, oblongo-ovata. — *Rostrum* longitudine thoracis, teres, arcuatum, subtenue. — *Oculi* rotundati, subprominuli. — *Thorax* subtransversus, anterius angustior, lateribus rotundatus, basi sub-bisinuatus, supra modice convexus, infra pone gulam truncatus. — *Scutellum* parvum, triangulare, distinctum. — *Elytra* oblonga, subovalia, convexa, thoracis medio vix latiora, alas pygidiumque occultantia.

Typus: — Miccotrogus cuprifer, Curc. idm Panz — Congen. Rhynch. picirostris, var. Gyllenh. Ins. Sv.

A μικκὸς parvus, exiguus, Dorice pro μικρὸς parvus, τρώγω comedo.

Observatio. — Quoad habitum quibusdam generis Tychii genuini speciebus simillimum, sed ob funiculum antennarum solummodo 6-articulatum, hoc tamquam subgenus, pari ratione, ac subgenus Tachyerges ab Orchistidis genere est distinctum, distinguere quoque volui.

Genus 143. Sibynes nob. — Sibinia Germ. Dej. — Rhynchaenus Fabr. Gyllenh.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 6-articulato: articulis tribus basalibus longiusculis, obconicis, 1° crassiusculo, tribus reliquis brevibus, apice truncatis; clava crassiuscula, oblongo-ovata. —

Rostrum elongatum, parum arcuatum, versus apicem plerumque sensim attenuatum.

Oculi magni, laterales, subrotundati.

Thorax anterius valde angustior, basi subbisinuatus, saepius in medio paullo productus.

Elytra brevia, lata, dorso saepe planiuscula, apice singulatim rotundata, abdomine breviora.

Pedes breviusculi, validiusculi; tibiae subcompressae.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, subovatum, depressiusculum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque fere longiores, in medio rostri insertae, validiusculae, fractae, 11-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, recto, clavato, 2-4 longiusculis, subobconicis, illo crassiusculo, 5-7 brevibus, coarctatis, apice subtruncatis, gradatim paullo latioribus; clava crassiuscula, oblongo-ovata, 4-articulata. — *Rostrum* capite thoraceque fere longius, teres, parum arcuatum, aut validiusculum, versus apicem sensim attenuatum, aut subfiliforme, subtenue; scrobes mox subtus flexae in basi rostri subtus convenientes. — *Oculi* laterales, subrotundati, subdepressi, magni. — *Thorax* longitudine paullo latior, antrorsum multo angustior, coarctatus, lateribus angulisque posticis rotundatus, supra parum convexus, antice truncatus, basi aut leviter bisinuatus, in medio nonnihil productus, aut subtruncatus, pone oculos non lobatus. — *Scutellum* minutum, rotundatum, distinctum. — *Elytra* in plerisque oblongo-subquadrata, thorace paullo latiora, quo vero triplo longiora, supra planiuscula, humeris antrorsum nonnihil prominulis; in quibusdam oblongo-ovata, basi subtruncata, humeris obtuse angulatis, supra convexiuscula; in omnibus apice singulatim rotundata, abdomine breviora. — *Pygidium* nudum, semirotundatum. — *Pedes* breves, validiusculi, aequales, antici approximati; femoribus clavatis, crassis, muticis, tibiis crassiusculis, subcompressis, apice truncatis, submuticis; tarsis brevibus, articulis duobus basalibus triangularibus, 3° bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1ª. Thorax postice leviter bisinuatus, in medio nonnihil productus. Elytra oblongo-subquadrata, planiuscula; humeri antrorsum subprominuli.

Typus: — Rhynchaen Viscariae Auctor. — Congen. Rh. canus Oliv. — Sibin. Potentillae et vittata Germ. — Rh. signatus Gyll.

Stirps 2ª. Thorax postice subtruncatus. Elytra oblongo-ovata, convexiuscula; humeri obtuse angulati.

Typus: — Sibinia sodalis Schüpp. et Germ.

A σιβύνη telum, hastae simile.

Observatio: — Generi Tychii prope accedit, sed thorax postice productus et habitus diversus. Speciebus stirpis nostrae 3ae, generis Gymnetron respectu habitus quoque proximum est, in illo vero funiculus antennarum tantum 5-articulatus, praeterea quidem antennarum tibiarumque structura est diversa.

Genus 144. Acallopistus nob.

Character generis: — Antennae breviusculae, validae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus brevibus, obconicis, illo crassiusculo, reliquis transversis, subperfoliatis, gradatim latioribus; clava subovata.

Rostrum subelongatum, validum, parum curvatum.

Thorax basi bisinuatus, anterius angustior.

Scutellum triangulare, distinctum.

Elytra oblongo-subquadrata, apice obtuse rotundata, abdomine breviora.

Femora antica subtus in medio dentata et pone dentem serrata.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, breviusculum, ovato-subquadratum, supra modice convexum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque fere longiores, pone medium ante apicem rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae: articulo 1º oculos non attingente, subrecto, clavato, 2º et 3º brevibus, obconicis, illo crassiusculo, 4-8 transversis, subperfoliatis, coarctatis, exterioribus sensim multo crassioribus clavamque fere incipientibus; clava crassiuscula,

subovata, 4-articulata. — *Rostrum* capite duplo longius, validum, subangulatum, subcurvatum; scrobe curvata, lineari, profunda, versus apicem incipiente, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* distantes, oblongi, oblique positi, subdepressi, magni. — *Thorax* longitudine latior, antrorsum valde angustior, antice truncatus, lateribus rotundatus, basi bisinuatus, supra modice convexus, infra pone gulam late, non vero profunde emarginatus. — *Scutellum* mediocre, triangulare, distinctum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo triplo longiora, oblongo subquadrata, supra modice convexa, humeris obtuse subangulatis; apice ipso obtuse rotundata, pygidio paullo breviora. — *Pedes* breviusculi, robusti; femoribus anticis paullulum longioribus, incrassatis, infra versus apicem canaliculatis, in medio dente valido, acuto, pone quem serie denticulorum 4-5 instructis, posterioribus muticis, minus incrassatis; tibiis subcompressis, anticis intus curvatis, apice oblique truncatis, uncinatis, posterioribus rectis, quarum hae apice muticae sunt: tarsis breviusculis, haud latis, subspongiosis, articulo penultimo bilobo, unguiculari, parum clavato, biunguiculato.

Typus: — Acallopistus vellicosus nov. sp. e Tranquebaria. Unicam speciem vidi.

Ab ἀκαλλώπιστος non comtus, non ornatus.

Observatio: — Respectu faciei intercedit quaedam Sibynes generis similitudo, rostro vero aliter constructo, valido, subangulato, femoribusque anticis incrassatis, dentatis praecipue dignoscitur.

Genus 145. Endaeus nob.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° subobconico, crassiusculo, 2° elongato, angustiore, etiam obconico, reliquis brevibus, apice truncatis, coarctatis, gradatim latioribus, 8° clavam incipiente; clava parva, breviter ovata.

Rostrum parum elongatum, crassiusculum, lineare, arcuatum.

Thorax subrotundatus, anterius paullo angustior, supra parum convexus.

Elytra oblongo-subquadrata, apice obtuse rotundata, supra non nimis convexa.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, latiusculum, modice convexum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque fere longiores, versus medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos attingente, subrecto, subclavato, 2° brevi, crassiusculo, subobconico, 3° elongato, angustiore, basi tenui etiam obconico, 4-8 brevibus, apice truncatis; coarctatis, crassitudine crescentibus, articulo funiculorum ultimo clavae basin mentiente; clava parva, breviter ovata, 4-articulata. — *Rostrum* (in feminis) capite jam fere duplo longius, in masculis paullo brevius, crassiusculum, lineare, parum arcuatum (supra rugosum); acrobe lineari, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, subrotundati, modice prominuli, magni. — *Thorax* subrotundatus, latitudine brevior, anterius paullo angustatus, lateribus aequaliter rotundatus, antice posticeque truncatus, supra parum convexus, infra pone gulam truncatus. — *Scutellum* minutum, depressum, apice rotundatum. — *Elytra* oblongo-subquadrata, thoracis medio dimidio latiora, quo plus triplo longiora, antice conjunctim subemarginata, humeris subrotundatis; lateribus subrecta, apice obtuse rotundata, pygidium obtegentia, supra perparum convexa. — *Pedes* breves, fortes, longitudine subaequales, antici approximati; femoribus omnibus incrassatis, dente valido instructis, posticis subcompressis; tibiis crassiusculis, compressis, rectis, anterioribus apice intus unco subhorizontali armatis, posticis brevioribus; tarsis subtus spongiosis, articulo unguiculari, parum clavato, biunguiculato.

Typus: — Eudaeus castus nob. nova spec. e Sierra Leona, nec plures vidi.

Ab ἐνδεής indigus, quod ab ἐνδεῖ deest.

Observatio: — Quoad habitum convenientia quaedam cum genere Sibynes intercedit, satis vero distinctum non solum thoracis forma rotundata, sed etiam structura diversa antennarum, putamus.

*****) Genus 146. Sternechus nob. — Orobitis Germ.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus obconicis, primo longiore, reliquis brevibus, apice truncatis, coarctatis, gradatim crassitudine crescentibus; clava ovalis.

Rostrum crassiusculum, cylindricum, subrectum.

Oculi subconnexi, ovati, immersi.

Thorax transversus, antrorsum multo angustior, coarctatus, lateribus posterius rectis.

Elytra oblongo-ovata, sub humerum inferne producta, angulato-dentata.

Sternum porrectum, apice obtusum.

Tibiae subcompressae, intus in medio denticulo acuto armatae.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, minus convexum, alatum. — *Antennae* thoracis medium vix longitudine superantes, mox pone medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, 2°, 3° longiusculis, obconicis, illo longiore, 4-8 brevissime obconicis, coarctatis, gradatim latioribus, ultimo clavae adpresso; clava ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* inflexum, thoracis longitudine, crassiusculum, cylindricum, subrectum: scrobe curvata, lineari, profunda, pone medium incipiente, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* ovales, immersi, in fronte fere contigui. — *Thorax* longitudine latior, basi leviter bisinuatus, lateribus ultra medium rectis, antrorsum abrupte angustior, coarctatus, antice in medio productus, supra planiusculus, infra pone gulam profunde et acute emarginatus. — *Scutellum* ovatum, distinctum. — *Elytra* basi thoracis paullo latiora, quo vero plus triplo longiora, pone humeros angulata, sub eosdem inferne producta, angulato-dentata, lateribus versus apicem sensim paullo angustata, supra modice convexa, apice obtuse rotundata, anum occultantia. — *Sternum* inter coxas medii paris porrectum, breve, crassum, apice obtusum. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales, validi, antici subapproximati; femoribus parum incrassatis, subtus denticulatis; tibiis angula-

tis, subcompressis, subcrassis, rectis, intus dente medio denticulo minuto armatis, apice truncatis, unco minuto, acuto intus instructis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, unguiculo clavato, biunguiculato.

Typus: Orobitis trachyptomus Germ.

A στέρνον pectus, ἔχων habens.

Observatio: — Cum habitu, tum etiam sterno porrecto, hocce genus Oxyopis aliquantum simile est; nec vero antennae, neque reliquorum membrorum formatio propriam hujus generis similitudinem exhibent. Mihi videtur rostri elytrorumque forma, conjunctionem cum Orobitide, aut Dionymero, cum quoniam canalicula quoque pectoralis deest, prohibere posse. Sequentis Tylomi generis habitualis quaedam est convenientia; antennae vero oculique imprimis aliter compositae constructaeque sunt.

Genus 147. Tylomus nob. Orobitis Germ.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis lenticularibus, gradatim paullo latioribus; clava ovalis.

Rostrum longiusculum, validum, cylindricum, rectum.

Oculi subapproximati, rotundati, depressi.

Thorax antrorsum multo angustior, basi obsolete bisinuatus.

Elytra subovata, sub humeros angulato-producta.

Descriptio: — *Corpus* ovale, breve, convexum, pollinosum, alatum. — *Antennae* thoracis basin fere attingentes, in medio rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, illo majore, 4-8 lenticularibus, gradatim crassitudine crescentibus; clava magna, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite fere duplo longius, subinflexum, validum, cylindricum; rectum; scrobe in medio incipiente, in basi rostri subtus exeunte, curvata, angusta, profunda. — *Caput* parvum, orbiculatum. — *Oculi* magni,

subapproximati, rotundati, depressi. — *Thorax* latitudine postica paullo brevior, anterius sensim angustatus, lateribus rotundatus; subconicus, postice leviter bisinuatus, antice parum productus, subtruncatus, supra modice convexus, infra pone gulam emarginatus. — *Scutellum* rotundatum, distinctum. — *Elytra* basi thoracis paullo latiora, quo vero quadruplo longiora, subovata, convexa, humeris obtuse angulatis, subelevatis; margine sub humero angulata, subspinosa, deinde sensim attenuata, apice rotundata, pygidium obtegentia. — *Pedes* breviusculi, longitudine aequales, validi, antici basi approximati; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis teretibus, linearibus, rectis, subcrassis, canaliculatis, apice truncatis, unco horizontali, acuto, valido intus instructis; tarsis longiusculis, subtus spongiosis, articulo unguiculari valido, clavato, biunguiculato.

Typus: — Orobit. gonopterus Germ. nec plures species vidi.

A τύλος callus ὦμος humerus.

Observatio: — Ad habitum Orobitidis, Dionymeri et Cleogoni generibus proximum, dignoscitur vero pedibus anticis approximatis, antennisque aliter constructis.

******) Genus 148. Orchestes Illig. Oliv. — Salius*) Germ. Schrank. — Rhynchaen. Clairv. Latr. Fabr. Gyllenh.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues, 11-articulatae: funiculo 6-articulato: articulo 1° majore, crassiusculo, 2° et 3° oblongis, reliquis brevibus, apice truncatis; clava crassa, oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, validiusculum, subteres, arcuatum, inflexum.

Oculi magni, rotundati, prominuli, approximati.

Thorax parvus, subconicus.

Elytra oblongo-ovata, thorace latiora, apice obtuse rotundata.

---

*) Nomen genericum: Salius in Syst. Piezator: dudum a Fabricio usitatum.

Pygidium plerumque nudum.
Pedes validi; femora postica crassa, saltatoria.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque longiores, aut ante, aut pone medium rostri insertae, subtenues, fractae, deflexae, 11-articulatae: articulo 1° extrorsum crassiore, recto, oculos subtingente, 2° magno, obconico, 3° et 4° oblongis, etiam obconicis, 5-7 brevibus, apice truncatis, subaequalibus; clava crassa, ovata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine aliquanto variat: in plerisque capite thoraceque longius, in paucis brevius, validiusculum, subteres, arcuatum, inflexum; scrobe recta, lineari, pone canthum oculorum desinente. — *Caput* parvum, subelongatum. — *Oculi* magni, rotundati, prominuli, in fronte fere contigui. — *Thorax* parvus, elytris postice etiam evidenter angustior, transversus, subconicus, antice coarctatus, postice aut leviter bisinuatus, aut subtruncatus, supra modice convexus, infra pone gulam non marginatus. — *Scutellum* punctiforme, distinctum. — *Elytra* magna, aut oblongo-, aut breviter ovata, thorace plus minusve latiora, quo triplo l. quadruplo longiora, humeris obtuse angulatis; supra parum convexa, apice obtuse rotundata. — *Pygidium* saepius nudum, postice rotundatum. — *Pedes* validi, antici approximati, anteriores multo breviores; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis apice non uncinatis; femoribus posticis saepius valde incrassatis, saltatoriis, aut denticulatis, aut muticis; tibiis extus oblique truncatis, canaliculatis; tarsis duobus basalibus triangularibus, 3o subelongato, penultimo dilatato, bilobo, omnibus subtus parum spongiosis, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Orch. Viminalis Auct. — Congenerici: Orchest. scutellaris, rufus, Alni, melanocephalus, Lonicerae et Ilicis Oliv. — Fagi — Auctor. — Rh. pilosus Gyll. — Curc. Rosae Herbst. l. Jota Fabr. — Rh. signifer et bifasciatus Gyll. —

Ab ὀρχηστής saltator.

Observatio: — Facile a reliquis hocce genus dignoscitur: antennis approximatis, rostro inflexo femoribusque posticis crassis, saltatoriis.

Subgenus Tachyerges nob. — Orchestes Illig. Oliv. — Rhynchaenus Fabr., Gyllenh.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, subtenues, 12-articulatae; scapo extrorsum crassiore, recto; funiculo 7-articulato: articulo 1° magno, obconico, 2° et 3° oblongis, etiam obconicis, 4-7 brevibus, apice truncatis; clava crassa, oblongo-ovata. — *Rostrum* capite duplo longius vel plus pro sexu, validiusculum, subteres, arcuatum, inflexum. — *Oculi* magni, in fronte subcontigui. — *Thorax* parvus, subconicus. — *Elytra* subovata, humeris obtuse angulatis. — *Pedes* validi, saltatorii; femoribus posticis plus minusve incrassatis, muticis; tibiis extus oblique truncatis, canaliculatis.

Typus: — Rhynchaen. Salicis Fabr. Gyll. Congenerici: Rh. Jota Gyll. — Rh. Saliceti Fabr. — Orch. rufitarsis Dej. — Orch. confinis Megerle.

A ταχυεργὴς celer in aliquid agendo.

Observatio. — In plurimis cum Orchestidibus conveniunt hujus subgeneris species, sed accessio numeri articulorum funiculi antennarum distinctionem postulat.

Subdivisio 2ª. Exscutellati - Apteri.

*) Genus 149. Solenorhinus nob. — Curculio Sparrm.

Character generis: — Antennae longae, tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus elongatis, reliquis gradatim brevioribus, omnibus obconicis; clava oblonga, subfusiformis.

Rostrum elongatum, validum, lineare, arcuatum, canaliculatum.

Thorax longus, antice posticeque truncatus, lateribus aequaliter rotundatus.

Elytra oblongo-ovata, versus apicem attenuata.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, apterum. — *Antennae* dimidii corporis longitudine, infra medium rostri in-

sertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos attingente, tenui, apice clavato, flexo, 2° et 3° elongatis, 4 et 5 paullo, 6-7 et 8 adhuc brevioribus, omnibus obconicis; clava oblonga, fusiformi, 4-articulata, articulis obliquis. — *Rostrum* capite thoraceque paullo longius, validum, arcuatum, perpendiculare, sublineare, versus apicem deplanatum, supra in medio lateribusque canaliculatum; scrobe curvata, profunda, versus apicem rostri incipiente, pone canthum oculi exeunte. — *Oculi* laterales, ovati, parum prominuli, magni, oblique positi. — *Thorax* latitudine longior, antice posticeque truncatus, anterius subcoarctatus, lateribus aequaliter rotundatus, supra convexus, infra pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi dimidio latiora, quo fere quadruplo longiora, basi conjunctim introrsum subemarginata, humeris antrorsum prominulis, obtuse angulatis; supra modice convexa, versus apicem attenuata, non callosa, apice ipso subacuminata, anum obtegentia. — *Pedes* validi, longiusculi, antici subelongati, approximati, femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, apice truncatis, muticis; tarsis longis, subtus spongiosis, articulo 1° et 2° subcordatis, illo magno, 3° bilobo, ultimo valido, biunguiculato.

Typus: — Curc. porifer Sparrm. Act. Holm. — nec plures species vidi.

Ά σωλὴν canalis, ῥιν nasus.

Observatio: — Respectu habitus et staturae Rhynchaeni genuini generi similitudine prope accedit, differt vero corpore aptero, haud scutellato.

Genus 150. Anchonus nob. — Rhynchaenus Fabr. Dej.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 8-articulato: articulo 1° brevissimo, 2° elongato, obconico, 4-8 brevibus, perfoliatis, coarctatis; clava breviter ovata.

Rostrum elongatum, crassiusculum, teres, arcuatum, ante basin constrictum, tumidum.

Oculi laterales, parvi, immersi.

R

Thorax juxta apicem coarctatus, pone oculos sublobatus. Elytra ovata, convexa.

Descriptio: — *Corpus* ovatum, rigidum, scabrosum, apterum. — *Antennae* ad thoracis medium pertingentes, prope medium rostri insertae, crassiusculae, 12-articulatae: articulo 1° clavato, paullulum curvato, oculos haud attingente, 2° brevissimo, nodoso, 3° elongato, obconico, 4-9 brevibus, perfoliatis, coarctatis, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava breviter ovata, 3-articulata, articulis arctissime connexis, vix distinctis. — *Vertex* laevissimus, convexus. — *Rostrum* longitudine capitis thoracisque, crassiusculum, tumidum, teres, arcuatum, ante basin valde constrictum; scrobe infra-oculari, obliqua. — *Oculi* parvi, remoti, sub capite ad basin rostri fere occultati, immersi. — *Thorax* latitudine fere longior, juxta apicem coarctatus, lateribus rotundatus, basi truncatus, supra parum convexus, infra pone gulam profunde emarginatus, lobis minutis pone oculos productis. — *Scutellum* vix conspicuum. — *Elytra* connata, ovata, antice thoracis basi paullo latiora, mox vero pone basin valde ampliata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice declivia, apice rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* validi, antici approximati; femoribus subclavatis, muticis; tibiis omnibus apice interiore unco valido armatis; tarsis breviusculis, subtus pilosis, unguiculo parum clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. suillus. Fabr. — Congenericus: Rhynch. subspinosus Fabr.

Ab ἄγχω strangulo, fauces constringo.

Observatio: — Hoc genus, praeter consuetudinem, octo articulis funiculi antennarum evidentibus constare, quod vix in ullo alio est observatum, ut et singularem esse capitis structuram, rostri oculorumque, facillime ab reliquis dignoscitur.

**) Genus 151. Styphlus nob.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, clavato, reliquis brevibus, rotundatis; clava subovata.

Rostrum elongatum, crassiusculum, teres, parum arcuatum, ante basin subconstrictum.

Thorax longus, subcylindricus.

Elytra oblongo-ovalia, connata; humeri prominuli.

Descriptio: — *Corpus* parvum, elongatum, subcylindricum, rigidum, setosum; apterum videtur. — *Antennae* thoracis medium vix superantes, infra medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, subrecto, clavato, 2°. longiusculo, subclavato, 3-8 brevibus, rotundatis, subaequalibus; clava 4-articulata, oblongo-ovata, acuminata, articulis distinctis. — *Rostrum* thoraci longitudine subaequale, crassiusculum, lineare, parum arcuatum, supra 3-carinatum, ante basin subconstrictum; scrobe prope apicem rostri incipiente, lineari, profunda, lata, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* parvi, distantes, subovati, immersi. — *Thorax* latitudine longior, subcylindricus, basi apiceque truncatus, antice coarctatus, infra pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* oblongo-ovalia, basi thoracis vix latiora, angulis humeralibus prominulis; lateribus usque ad apicem parum rotundata, medio latiora, connata, abdomine haud breviora. — *Pedes* breves, validi, subaequales, antici approximati; femoribus incrassatis, muticis; tibiis latiusculis, compressis, intus sinuatis, apice truncatis, muticis; tarsis breviusculis, articulis duobus basalibus trigonis, 3° dilatato, bilobo, omnibus subtus parum spongiosis, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Styphlus penicillus nob. e Gallia mer. in Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. asservatur.

A στύφλος asper.

Observatio: — Hoc genus, si non idem ac Ortochaetes (Germ. Ins. sp. I. pag. 302.), simillimum tamen ei videtur; cum vero funiculus antennarum septem-, non sex-articulatus, rostrumque aliquanto aliter constructum, dubium mihi oritur, an hoc possit esse idem, ac a D. Germaro descriptum, etsi descriptio specifica Ortochaet. setigeri tam Celeb. Germarii, quam quae in Beytr. zur Bai. In. Fn. p. 21. exstat, maximam cum specimine meo convenientiam habeat.

Genus 152. **Trachodes** Schüpp. Germ. — **Rhynchaenus** Gyll. — **Curculio** Linn. Payk.

Character generis: — Antennae breviusculae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus obconicis, illo paullo crassiore, reliquis rotundatis, gradatim paullo latioribus; clava breviter ovata.

Rostrum elongatum, subtenue, arcuatum, lineare.

Thorax basi apiceque truncatus, antice coarctatus, lateribus rotundatus.

Elytra ovalia, connata, versus apicem attenuata, supra modice convexa.

Descriptio: — *Corpus* parvum, ovatum, hispidum, apterum. — *Antennae* ad thoracis medium vix pertingentes, prope medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, subtenui, apice clavato, 2° et 3° obconicis, illo majore, 4-8 rotundatis, subaequalibus, exterioribus sensim crassioribus; clava breviter ovata, articulis 4 arcte connexis. — *Rostrum* capite thoraceque fere longius, subtenue, lineare, arcuatum, scrobe profunda, lineari ad basin rostri subtus versus oculi marginem desinente. — *Oculi* laterales, subrotundati, depressi. — *Thorax* latitudine fere longior, antice subangustior, coarctatus, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, supra convexus, infra pone gulam emarginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* basi vix thorace latiora, angulis humeralibus rotundata, ante medium magis ampliata, versus apicem attenuata, thorace triplo longiora, convexa, coadunata, anum obtegentia. — *Pedes* elongati, validi, antici approximati; femoribus valde clavatis, aut dentatis, aut muticis; tibiis crassiusculis, subcompressis, apice haud latioribus, unco valido armatis, omnibus saepius in medio dilatatis; tarsis subtus vix spongiosis, articulo 1° oblongo, triangulari, 2° brevi, penultimo bilobo, unguiculo saepius brevi, gracili, interdum elongato, clavato, ungulis binis.

Typus: — Curc. **hispidus** Linn. l. **Rhynch. squamifer** Gyll. Congen. **Trachod. ptinoïdes** Germ.

A τραχὺς asper, hispidus.

(*Divisio* 2. Cholides. Pedes antici basi distantes, inter quos pectus planum, plus minusve immittitur.)

*) Genus 158. Rhinastus nob. — Cholus Germ.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, apice truncatis; clava parva, ovata.

Caput valde elongatum, demissum.

Rostrum longum, validum, arcuatum, angulatum; scrobe lata, non profunda.

Thorax transversus, basi bisinnatus, lateribus deplanatus, versus apicem valdè angustatus; sternum mucronatum.

Elytra subcordata, deplanata, margine costata.

Descriptio: — *Corpus* magnum, rhombicum, supra fere planum, squamosum, alatum. — *Antennae* rostro breviores, in medio rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, parum clavato, 2° et 3° longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, apice truncatis, sensim paullo crassioribus, illo paullo longiore; clava parva, ovata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* elongatum; demissum, antice sensim in rostrum continuatum. — *Rostrum* magnum, validum, inflexum, dimidio corpore longius, basi capitis fere latitudine, extrorsum sensim angustatum, valde arcuatum, supra subplanum, ad latera angulatum, exinde subtrigonum, subtus saepius denticulatum; scrobe in medio incipiente, subrecta, paullatim versus oculos lata, non profunda, ante marginem oculi desinente. — *Oculi* valde remoti, laterales, minores, subrotundati, parum prominuli. — *Thorax* longitudine dimidio latior, basi latus, bi-sinuatus, lateribus rotundatus, deplanatus, versus apicem valde angustatus et coarctatus, subtus inter pedum anticorum basin mucrone magno, truncato instructus. — *Scutellum* rotundatum, depressum, distinctum. — *Elytra* subcordata, thoracis basi vix latiora et illo paullo longiora, versus apicem sinuato-attenuata, margine explanata, costata, dorso planata, ante apicem subcallosa, abdomen subobtegentia. — *Pedes* elongati,

antici longiores, basi distantes, graciles; femoribus rectis, parum clavatis, dentatis; tibiis compressis, anterioribus versus apicem curvatis, intus angulatis, posterioribus ante apicem penicillatis, posticis apice dente perpendiculari armatis; tarsis latis, subtus spongiosis; ungue parum clavato, biunguiculato.

Typus: — **Rhinastus pertusus** Dalm. — Congenericus: **Cholus sternicornis** Germ.

A ῥιν nasus, eodem modo, quo **Rhamphastus** formatus est ab ῥαμφος.

Observatio: — Insolita corporis forma valde deplanata, caput demissum, rostrum grande singularis structurae, scrobs lata sed parum profunda, antennarum clava exigua, sternum porrectum; species huc relatas a **Choli** genere abunde distinguunt, ut et in multis illarum characteres sibi invicem sunt oppositi.

Genus 154. Cholus Germ. — Rhynchaenus Fabr.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, clavato, 2° breviore, obconico, reliquis brevissime obconicis, gradatim paullo latioribus; clava oblongo-ovalis, acuminata.

Rostrum subtenue, longiusculum, versus apicem deplanatum; scrobs angusta, profunda.

Thorax transversus, basi bisinuatus, versus apicem angustatus.

Elytra subobconica ab humeris ad apicem sensim angustata.

Descriptio: — *Corpus* robustum, fere rhombicum, supra parum planiusculum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque vix longiores, infra medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, tenui, versus apicem clavato, paullulum arcuato, 2° elongato, etiam subclavato, 3° paullo breviore, obconico, 4-8 brevissime subobconicis, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* subexsertum, orbiculatum. — *Rostrum* capite thoraceque longius, deflexum, subtenue, mo-

dice arcuatum, teres, saepius apice latius deplanatum; scrobe pone medium incipiente, angusta, profunda, recta, versus marginem anticum oculi desinente. — *Oculi* laterales, majusculi, subrotundati, parum prominuli. — *Thorax* longitudine latior, basi leviter bisinuatus, versus apicem jam mox angustatus, subcoarctatus, in medio antice subproductus, saepe sinuatus, supra parum convexus, lateribus pone oculos saepius sublobatus, infra late et obsolete canaliculatus, pone gulam emarginatus. — *Scutellum* apice rotundatum, saepius subtransversum, subelevatum. — *Elytra* subobconica, basi thoracis vix latiora, singulatim subrotundata, humeris saepius retusis; ab humero ad apicem sensim angustata, lateribus inflexa, dorso deplanata, apice subacuminata, abdomen obtegentia. — *Pedes* elongati, validi, antici longiores, basi distantes; femoribus clavatis, dentatis; tibiis subcurvatis, apice truncatis, dente horizontali armatis, extus apice ciliatis, unco perpendiculari instructis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Cholus albicinctus Germ. — Congenerici: Chol. geometricus Germ. — Rh. annulatus et Rana Fabr.

A χωλὸς claudus.

Observatio: — Generi Dionychi proxime, praesertim quoad structuram rostri, affinitate accedit. Forma corporis rhombica, rostroque apice deplanato, hoc a Balanini et Baridii generibus facile dignoscitur.

Subgenus Callinotus nob.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° valde elongato, clavato, 2° paullo breviore, 3-6 brevibus, apice subrotundatis, crassitudine crescentibus, 7° crassiore, cyathiformi, clavae basin mentiente; clava ovata, acuminata. — *Rostrum* longiusculum, inflexum, subtenue, teres, sublineare, subarcuatum; scrobe angusta, profunda, sublineari, versus oculi medium desinente. — *Oculi* subovati, vix prominuli. — *Thorax* transversus, basi profunde bisinuatus, anterius angustior, lateribus rotundatus, antice subproductus, sinuatus,

supra parum convexus, infra pone gulam emarginatus, late et obsolete canaliculatus. — *Scutellum* aut transversum, aut oblongum, apice rotundatum, subelevatum. — *Elytra* basi thoracis vix latiora, oblonga, subovalia, angulis humeralibus subretusis, subrotundatis; antice singulatim rotundata, producta, lateribus inflexa, dorso deplanata, apice aut obtuse rotundata, aut acuminata. — *Pedes* antici basi parum distantes; constructi praeterea ut in genere Choli genuini. — *Corpus* oblongo-subovatum, pulchre insignitum, alatum.

Typus: — Cholus (Callinotus) praefectus nob. e Brasilia a Lib. Bar. D. Gyllenkrok benigne mecum communicatus. Congenericus Chol. (Callin.) circinctus nob.

A κάλλος pulchritudo, νῶτος dorsum.

Observatio: — Forma corporis antennarumque nonnihil diversa, rostro tereti, sublineari, pedibusque anticis basi parum distantibus hocce subgenus praecipue a Cholis genuinis distinguitur.

Genus 155. Dionychus Germ. — Archarias Dej. — Rhynchaenus Fabr. Oliv.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, clavato, 2° breviore, obconico, reliquis brevibus, lenticularibus, gradatim paullo latioribus; clava oblongo-ovalis.

Rostrum longum, validum, arcuatum, versus apicem deplanatum.

Thorax transversus, basi subbisinuatus, anterius valde angustior.

Elytra thoracis basi vix latiora, oblongo-ovalia, dorso parum convexa.

Descriptio: — *Corpus* majusculum, fere ellipticum, parum convexum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, pone medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, subrecto, clavato, 2° elongato, etiam clavato, 3° breviore, obconico, 4-8 brevibus, transversis, lenticularibus, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava oblongo-ovali, apice saepius obtusa et compressa, raro acuminata, articulis 4 ar-

ctissime connexis. — *Caput* subexsertum, orbiculatum. — *Rostrum* thoraci subaequale vel longius, validum, arcuatum, teres, versus apicem deplanatum; scrobe pone medium incipiente, subrecta, lineari, profunda, pone oculos desinente. — *Oculi* laterales, subrotundati, parum prominuli. — *Thorax* longitudine latior, basi leviter bisinuatus, anterius valde angustatus, parum coarctatus, lateribus rotundatus, dorso nonnihil convexus, infra pone gulam emarginatus, versus oculos non lobatus. — *Scutellum* apice rotundatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, quo vero triplo longiora, oblongo-ovalia, humeris obtuse rotundatis; basi subtruncata, apice rotundata, supra parum convexa, versus apicem nonnunquam subcallosa, pygidium obtegentia. — *Pedes* elongati, robusti, basi distantes, intermedii breviores; femoribus incrassatis, dentatis; tibiis compressis, apice unguibus duobus acutis terminatis, extus versus apicem penicillatis, anterioribus in paucis intus in medio denticulo magno instructis; tarsis latis, trigonis, articulis tribus primis contiguis, subtus spongiosis, penultimo bilobo, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Dionych. parallelogrammus Germ. — Congenerici: Dion. platynotus et alboguttatus Germ. — Rhynchaen. miliaris Fabr. et Oliv. — Dion. zonarius nob.

A δὶς bis ὄνυξ unguis.

Observatio. — Generi Choli, a quo forma corporis, rostro antennisque crassioribus, diversa earum structura discrepat, appropinquat.

Subgenus Homalinotus. nob. Sahlb. — Dionychus Germ. — Calandra Fabr. — Curculio Linn. De Geer.

Adumbratio: — Antennae mediocres, validae; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, clavato, 2° breviore, obconico, reliquis brevibus, lenticularibus, 7° latiore, clavae adpresso, sed distincto, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava minuta, subovali, apice compressa. — *Rostrum* longum, validiusculum, parum arcuatum, teres,

sublineare. — *Oculi* ovati, subdepressi. — *Thorax* transversus, basi subbisinuatus, lobo medio saepius subrotundatus, antice subproductus, in medio subemarginatus, pone oculos lobatus, supra deplanatus, lateribus in plerisque rotundatus, anterius angustior, coarctatus; in paucis (Calandra indus Fabr.) antice latior, obtuse angulatus, posterius multo angustior. — *Elytra* subovalia, antice conjunctim introrsum subemarginata, humeris antrorsum subprominulis, obtuse angulatis; dorso valde deplanata, versus apicem vix callosa, apice ipso saepius obtuse rotundata, in nonnullis acuminata, anum obtegentia. — *Pedes* pari modo, ac in genere genuini Dionychi constructi, at tibiae solummodo in medio intus dilatatae.

Typus: — Dionychus circumdatus Germ. l. Homalin. deplanatus Sahlb.

Species mihi cognitae et huc etiam pertinentes: Dionych. (Homalin.) porosus nob. — Calandra indus Fabr. — Curc. morbillator Herbst.

Ab ὁμαλὸς planus, νῶτος dorsum.

Observatio. — Dionychi genuini generi proximum. Corpore supra deplanato, clava antennarum multo minore, rostro lineari, thorace pone oculos lobato, elytrisque antice emarginatis, hocce forsitan distinguitur subgenus. Num proprium posset esse genus?

Genus 156. Amerhinus nob., Sahlb. — Amerhis Billb. — Ameris Germ. — Rhynchaenus Kirby.

Character generis: — Antennae mediocres, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, subobconicis, 1° longiore, reliquis brevibus, apice truncatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, inflexum, validum, modice arcuatum.

Thorax transversus, antice coarctatus, lateribus rotundatus, supra convexus.

Scutellum oblongum, subelevatum.

Elytra subcylindrica, valde convexa; basi transverse impressa, apice maxime obtuse rotundata.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, subcylindricum, nonnunquam subobconicum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non attingentes, infra medium rostri insertae, validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, subobconicis, illo longiore, 4-8 brevibus, subcoarctatis, apice truncatis, gradatim paullo latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arctissime connexis. — *Rostrum* inflexum, thoracis fere longitudine, plus minusve validum, subcylindricum, in paucis teres, subrectum, modice arcuatum, apice subdeplanatum, denudatum; scrobe versus apicem rostri incipiente, subrecta, sensim versus oculos lata, profunda, pone oculos desinente. — *Caput* exsertum hemisphaericum. — *Oculi* laterales, mediocres, subrotundato-ovales, modice prominuli. — *Thorax* latitudine paullo brevior, basi bisinuatus, lateribus plus minusve rotundatus, anterius jam mox angustatus, coarctatus, tubulatus, supra convexus, in quibusdam subglobosus, pulvinatus; pone oculos modice lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus, late et obsolete canaliculatus. — *Scutellum* parvum, sed distinctum, oblongum, subelevatum. — *Elytra* thoracis baseos latitudine, illoque triplo longiora, subcylindrica, posterius gradatim parum angustata, supra convexa, basi transverse impressa, prope apicem callo lato, satis elevato, apice ipso maxime obtuse rotundata, fere truncata, anum vix obtegentia; humeris aut obtuse angulatis, aut subprominulis. — *Pedes* validi, antici basi distantes, intermedii breviores; femoribus modice clavatis, dentatis; tibiis subarcuatis, compressis, apice breviter calcaratis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo ultimo elongato, parum clavato, biunguiculato.

Typus: — (Rhynchaen.) Dufresnii Kirby l. Rh. Pardalis Dalm.

Huc quoque adnumerantur: Amerh. Ynca Sahlb. l. Dionychus ruidus Germ. — Amerh. Pavo et Pardus Germ. et species quatuor indescriptae.

Ab ἄμη falx messoria, sarculum, ῥὶν nasus.

Observatio: — Thorax in nonnullis magnus, rotundatus l. subglobosus, subtus obsolete canaliculatus, ut et elytra fere cylindrica, posterius parum angustata, faciem huic generi propriam addunt.

Genus 157. Solenopus nob. — Odontoderes Sahlb. — Dionychus Germ.

Character generis: — Antennae longiusculae, tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus clavatis, reliquis brevissime subobconicis, ultimo clavae adnexo; clava oblongo-ovata.

Rostrum longum, cylindricum, subtenue, arcuatum.

Thorax lateribus rotundatus, a medio ad apicem attenuatus.

Scutellum apice rotundatum, planum.

Elytra elongata, convexa, cylindrica.

Tibiae compressae, extus canaliculatae.

Descriptio: — *Corpus* majusculum, subcylindricum, alatum. — *Antennae* longitudine rostri capitisque, infra medium rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, tenui, versus apicem clavato, 2° et 3° elongatis, aequalibus, etiam obconicis, 4-8 brevissime subobconicis, subcontractis, 8° paullo majore clavae basi arcte adpresso, clava oblongo-ovata, acuminata, articulis arctissime connexis. — *Rostrum* capitis thoracisque longitudine, deflexum, cylindricum, subtenue, modice arcuatum; scrobe recta, profunda, sublineari, ad oculum extensa. — *Oculi* laterales, ovati, parum prominuli. — *Thorax* longitudine latitudinem vix superans, basi aliquantulum bisinuatus, angulis posticis atque lateribus rotundatus, (dense granulatus, anterius granulis dentiformibus sat crebre adspersus,) a medio ad apicem attenuatus, antice parum productus, in medio leviter emarginatus, ad latera contractus, supra parum convexus, pone oculos lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* apice rotundatum, planum. — *Elytra* thorace paullo latiora, quo duplo et dimi-

dio longiora, subcylindrica, parum convexa, pone apicem callosa, apice ipso rotundata, anum non obtegentia, humeris obtuse angulatis. — *Pedes* validi, antici elongati, basi parum distantes; femoribus clavatis, dentatis; tibiis compressis, intus in medio parum dilatatis, extus profunde canaliculatis, apice calcaratis; tarsis latis, anterioribus (forsitan pro sexu) villosis, omnibus subtus spongiosis, articulo ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

Typus: — Odontoderes Cacicus Sahlb. l. Dionychus granicollis Germ. — nec plures species vidi.

A σωλὴν canalis, πούς pes.

Observatio: — Habitu et statura Amerhini generi appropinquat. Ex antennis longioribus, magis tenuibus aliterque constructis, ut et tibiis extus canaliculatis, differentia essentialis elucet.

Genus 158. Nettarhinus nob.

Character generis: — Antennae breves, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longioribus, clavatis, reliquis brevissimis, subperfoliatis, crassitudine parum crescentibus; clava subovata, acuminata.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, sub capite insertum, versus apicem sensim ampliatum, supra deplanatum, rectum.

Thorax transversus, convexus, basi subtruncatus, lateribus aequaliter valde rotundatus, anterius coarctatus.

Elytra cylindrica, apice acuminato-spinosa.

Pedes breviusculi, validi; tibiae compressae.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, cylindricum, rigidum, scabrosum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque vix longiores, infra medium rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, subrecto, 2 et 3 longiusculis, clavatis, 4-8 brevissimis, subperfoliatis, crassitudine paullo crescentibus, articulo ultimo clavae adnexo; clava subovata, apice acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* exsertum, hemisphaericum. — *Rostrum* capite paullo longius, crassiusculum,

sub capite insertum, inflexum, basi latiusculum, exinde perparum angustatum, versus apicem iterum ampliatum, supra deplanatum, subdepressum, omnino rectum; scrobe subrecta, versus apicem rostri incipiente, angusta, profunda, pone canthum oculi inferum exeunte. — *Oculi* magni, laterales, perpendiculares, ovati, parum prominuli. — *Thorax* latitudine paullo brevior, basi subtruncatus, vel potius late introrsum subemarginatus, angulis posticis acutis productus, lateribus aequaliter valde rotundatus, anterius subito angustatus, valde coarctatus, antice in medio productus, supra valde convexus, inaequalis, pone oculos lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* satis distinctum, apice rotundatum, depressum. — *Elytra* medio thoracis haud latiora eoque duplo longiora, cylindrica, valde convexa, inaequalia, versus apicem callosa, lateribus recta, apice obtuse rotundata, in spinam parvam internam, acutam, rectam excurrentia; humeris acute angulatis. — *Pedes* validi, antici elongati, basi distantes, posteriores breves; femoribus parum incrassatis, dentatis; tibiis subcrassis, compressis, subrectis, intus pone medium dente, in apice unco horizontali armatis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo ultimo parum clavato, biunguiculato.

Typus: — Nettarh. anthribiformis nob e Brasilia. — Unam tantum speciem vidi.

A νῆττα anas, ῥὶν nasus.

Observatio. — Ex brevitate rostri dubium oritur, an ad Brachyrhynchos hoc genus sit referendum, nec ne; facies enim exterior Amerhinis propinqua, unde ad hos hoc retuli; habitus quoque est plurium e Divisione Anthribidum generum, essentiales vero notae sunt omnino aliae.

**) Genus 159. Alcides Dalm., Sahlb. — Lixus Fabr. Wiedem. Megerle. — Rhynchaenus Fabr.

Character generis: — Antennae breviusculae, validae; funiculo 6 articulato: articulis duobus basalibus obconicis, 1° subelongato, reliquis brevibus, subrotundatis; clava subovata.

Rostrum mediocre, teres, lineare, subrectum.

Thorax postice latior, trilobus, antice angustatus.

Elytra aut subovalia, gibba, aut elongata, subcylindrica, basi singulatim valde producta, thoracis emarginaturas replentia, eique arcte applicata.

Descriptio: — *Corpus* aut ovale, gibbum, aut oblongum subcylindricum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque vix longiores, versus medium rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, valde clavato, recto, 2 et 3 obconicis, illo subelongato, 4-7, subrotundatis, subaequalibus, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava subovata, apice acuminata, 5-articulata, articulo basali elongato, reliquis brevibus, arcte connexis. — *Rostrum* thoracis longitudine, validiusculum, inflexum, teres, lineare, in plerisque subrectum, in nonnullis parum arcuatum; scrobe in medio incipiente, lineari, flexa, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, ovales, depressi. — *Thorax* postice latior, trilobus, lateribus rotundatus, antice angustatus, coarctatus, supra convexus, pone oculos in lobum obtusum protractus, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* minutum, transversum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, quo autem fere triplo longiora, basi singulatim valde producta, thoracis emarginaturas implentia, eique arcte applicata, apice rotundata, anum obtegentia; aut subovalia, gibba, posterius sensim atque paullulum angustata, aut elongata, subcylindrica. — *Pedes* robusti, antici longiores, basi distantes; femoribus parum clavatis, acute dentatis; tibiis inflexis, crassiusculis, parum compressis, subrectis, apice unco armatis; tarsorum articulis duobus basalibus trigonis, penultimo latiore, bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo clavato, biunguiculato, unguilis brevibus.

Typus: — Lix. trilobus Fabr. — Congenerici: Alcides senex Sahlb. — Rhynch. Fabricii, sulcatulus, dentipes, Angulus et Bubo Fabr. Lix. alboguttatus Wiedem. — Curc. laniger Sparrm.

Ab ἀλκή robur, vires.

Observatio: — Thorax postice profunde bis-emarginatus, et elytra antice producta, emarginaturas thoracis implentia, manifestam huic generi faciem reddunt.

***) Genus 160. Platyonyx nob. — Baris Dejean.

Character generis: — Antennae longae, subtenues; funiculo 7-articulato; articulo 1° subelongato, obconico, reliquis brevissime obconicis; clava valde elongata, fusiformi.

Rostrum longum, subfiliforme, arcuatum.

Thorax antice angustatus, postice bisinuatus, in medio lobatus.

Elytra subovata, planiuscula, pygidium vix obtegentia.

Tarsi antici lati; unguiculus trigonus, valde dilatatus.

Descriptio: — *Corpus* breviter subovatum, supra depressiusculum, alatum. — *Antennae* thoracis medium vix superant, pone medium rostri ante apicem insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculorum marginem inferiorem attingente, tenui, apice inflato, 2° subelongato, obconico, 3-8 brevissime obconicis, subaequalibus; clava valde elongata, fusiformi, 4-articulata, articulis difficile discernendis — *Rostrum* thoraci subaequale, subtenue, subteres, arcuatum; scrobe versus apicem incipiente, lineari, angusta, cito deorsum flexa et in inferiore parte rostri desinente. — *Oculi* laterales, ovati, depressi, magni. — *Thorax* longitudine fere latior, anterius angustior, truncatus, lateribus subrotundatus, basi bisinuatus, ante scutellum subproductus, supra parum convexus, infra in medio obsolete depressus. — *Scutellum* apice rotundatum, distinctum. — *Elytra* antice thoracis basi vix latiora, quo duplo longiora; angulis humeralibus rotundatis; posterius angustata, subovata, apice rotundata, abdomine paullo breviora. — *Pedes* mediocres, validiusculi, antici distantes, (postici in nostro absunt;) femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis, muticis: tarsis anticis latis, articulis duobus basalibus trigonis, penultimo latiore, bilobo, omnibus subtus spongiosis, unguiculo trigono, versus apicem satis lato, lateribus dilatato, supra in medio carinato, apice biunguiculato, ungulis gracilibus; tarsi intermedii structura solita.

Typus: — Baris ornatus Dej. Catal. — Unicam speciem vidi.

A πλατὺς latus, ὄνυξ unguis.

Observatio: — Quoad antennas intercedit magna cum Madari-genere similitudo, habitu autem Balamini generi proxime accedit. Singularis et insolita unguicularis tarsorum anticorum articuli structura, manifestum reddit hoc genus.

Genus 161. Madarus nob. — Calandra Fabr.

Character generis: — Antennae longiusculae, validae; funiculo 7-articulato: articulo 1° subelongato, obconico, reliquis brevissime obconicis, gradatim paullo latioribus; clava elongata, subfusiformi.

Rostrum elongatum, validiusculum, subcylindricum, arcuatum.

Thorax subobconicus, postice bisinuatus, in medio lobatus, supra deplanatus.

Elytra oblongo-subquadrata, planiuscula, abdomine breviora.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, planum, glabrum, durum, alatum. — *Antennae* capite rostroque fere longiores, in medio rostri insertae, validae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, subrecto, clavato, 2° subelongato, obconico, 3-8 brevissime obconicis, coarctatis, crassitudine crescentibus; clava elongata, subfusiformi, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* convexum. — *Rostrum* thoracis longitudine, validiusculum, subcylindricum, arcuatum, ab antennarum insertione versus basin crassius; scrobe pone medium incipiente, lineari, angusta, profunda, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, ovati, immersi, magni. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius angustior, truncatus, lateribus subrotundatus, subconicus, postice bisinuatus, ante scutellum subproductus, supra deplanatus, infra convexus, in quibusdam ante pedum insertionem bi-aut quadrispinosus. — *Scutellum* parvum, immersum. — *Elytra* thorace fere latiora, quo vix duplo longiora, angulis humeralibus prominulis; posterius subangustata, oblongo-subquadrata, apice rotundata, supra depla-

nata, abdomine breviora. — *Pygidium* semirotundatum, nudum. — *Pedes* mediocres, validi, antici basi valde distantes; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis subteretibus, parum compressis, rectis, apice oblique truncatis, unco minuto subdeflexo armatis; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulis duobus basalibus trigonis, penultimo profunde bilobo, ultimo valido, clavato, biunguiculato.

Typus: — Calandra corvina Fabr. — Congenericus: Madar: pectoralis nob.

A μαδαρὸς glaber, laevis.

Observatio. — Respectu habitus cum Rhynchophorae (Calandra) genere, quodam modo quoque cum Subgen. Cyphirhini, etsi statura longior, convenit. — Antennae, quoad proportiones articulorum, iisdem, ac in genere Platyonycis simillimae sunt; partium vero reliquarum discrepantia conjunctionem prohibet. — Pedes antici basi valde remoti insignem efficiunt characterem.

Genus 162. Baridius nob. — Baris Germ. Dej. Billb. — Michorhynchus et Stenorhynchus Megerle. — Rhynchaenus Fabr. Oliv. Gyll. — Calandra Fabr.

Character generis: — Antennae breviusculae, validiusculae; funiculo 7-articulato: aut solummodo articulo 1°, aut 1° et 2° elongatis, obconicis, reliquis brevibus, subaequalibus, coarctatis, gradatim paullo latioribus; clava obtuse ovalis.

Rostrum elongatum, subcylindricum, arcuatum.

Oculi remoti, immersi, magni.

Thorax basi leviter bisinuatus, supra parum convexus.

Elytra oblonga, supra parum convexa, apice obtuse rotundata, pygidium in plerisque haud tegentia.

Pedes breves, fortes, tibiae apice intus unco valido armatae.

Descriptio: — *Corpus* ellipticum, supra depressiusculum, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes, aut pone, aut ante medium rostri insertae, vel sub-

crassae, vel validiusculae, fractae, 12-articulatae: articulo 1° saepius parum, nonnunquam modice elongato, clavato, recto, oculos non attingente, 2° plus minusve elongato, obconico, 3° in paucis etiam obconico, reliquis brevibus, coarctatis, subaequalibus, versus apicem sensim crassioribus; clava obtuse ovali. — *Rostrum* thoraci subaequale l. longius, saepius validiusculum, teres, arcuatum; scrobe profunda, angusta, lineari, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* distantes, ovati, immersi, magni. — *Thorax* latitudine fere longior, supra parum convexus, saepius subplanus, aut subquadratus, apice jam cito angustatus, aut subconicus, basi vel leviter, vel profunde bisinuatus, subtruncatus, pone oculos non lobatus; subtus pone gulam leviter emarginatus, in plerisque obsolete canaliculatus, et in quibusdam canalicula determinata praeditus. — *Scutellum* parvum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo fere triplo longiora, in plerisque oblongo-subquadrata, in aliis elongata, sublinearia, supra aut subplana, aut perparum convexa, basi vel singulatim rotundata, vel subtruncata, apice ipso rotundata, pygidium in nonnullis prominens, in aliis obtectum; angulis humeralibus rotundatis, — *Pedes* breves, fortes, longitudine subaequales, antici basi distantes; femoribus compressis, clavatis, muticis, infra versus apicem, pro receptione tibiarum profunde canaliculatis, exinde paullo sulcatis; tibiis apice dilatatis, truncatis; intus unco valido, horizontali armatis; tarsorum articulis duobus basalibus saepissime triangularibus, 3° profunde bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo elongato, tenui, acute biunguiculato. (Tarsis in nonnullis, ex. gr. Baridio loricato angustatis, magis tenuibus, subtus haud spongiosis. Insectum forsitan in aquis natat?)

Stirps 1a (Genuini). — Antennae pone medium rostri insertae; funiculo crassiusculo, articulo 1° parum elongato, obconico, reliquis brevibus, subaequalibus, coarctatis; clava breviter ovata.

Typus: — Barid. nitens, Calandra eadm Fabr. Rhynch. timidus Oliv. — Congenerici: Calandra Saba

Fabr. — Baris picina Germ. — Rhynch. analis Oliv. — Rhynch. Artemisiae auctor. — Attelab. cuprirostris Fabr. — Rhynchaenus chloris Fabr. aliaeque plures species.

Stirps 2a. — Antennae in medio rostri insertae; funiculo validiusculo, articulo 1° elongato, subclavato, reliquis brevissime obconicis, coarctatis; clava ovata, acuminata.

Typus: — Baris interpunctata Germ. — Congenerici: Baris metallica Dej. — Curcul. cyaneus? Herbst.

Stirps 3a. — Antennae in medio rostri insertae; funiculo subtenui, articulo 1° et 2° obconicis, hoc minore, reliquis brevibus, transversis, coarctatis; clava subovata, acuminata.

Typus: — Barid. T. album, Rhynchaen. idm Auctor. — Congenerici: Rhynchaen. famulus Fabr. — Lix. loricatus Schneid. — Barid. punctatissimus nob.

A βάρις navigium et εἶδος forma.

Subgenus A. Cyphirhinus nob.

Adumbratio: — Antennae breves, prope medium rostri insertae, validiusculae; scapo brevissimo, clavato; funiculo 7-articulato: articulo basali obconico, reliquis subperfoliatis, contractis, crassitudine crescentibus, clava crassiuscula, breviter ovata. — *Rostrum* capite duplo longius, crassiusculum, subteres, valde arcuatum, infra versus apicem deplanatum; scrobe profunda, curvata, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* satis magni, ovati, immersi. — *Thorax* subquadratus, versus apicem mox angustatus, postice bisinuatus, ante scutellum productus, infra obsolete canaliculatus. — *Elytra* thorace fere latiora, quo vix duplo longiora, oblongo-subquadrata, apice obtuse rotundata. — *Pygidium* nudum semirotundatum, basi carinatum. — *Pedes* breves, fortes; tarsis gracilibus, articulo penultimo bilobo, subtus spongioso.

Typus: — Barid. (Cyphirhinus) uncinatus Gyllenh. n. sp. nec plures species vidi.

A κυφὸς curvus, ῥιν nasus.

Observatio: — Corpus supra depressiusculum, facies Baridii genuini similis; forma vero rostri et articulorum antennarum praecipue distinguere videtur.

Subgenus B. Solenosternus nob.

Adumbratio: — Antennae breviusculae, ante medium rostri insertae; scapo brevi, clavato; funiculo subtenui; articulo 1° elongato, obconico, reliquis brevissime obconicis, coarctatis, gradatim paullo latioribus; clava ovata, acuminata. — *Rostrum* capite thoraceque longius, subteres, arcuatum, basi supra gibbum, deinde versus apicem sensim angustius, planiusculum, lateribus basi compressum. — *Oculi* sat magni, ovati, immersi. — *Thorax* subconicus, anterius angustior, postice bisinuatus, ante scutellum subproductus, supra parum convexus, infra distincte canaliculatus. — *Elytra* thoracis basi perparum latiora, quo vix duplo longiora, oblongo-subquadrata, apice obtuse rotundata; pygidium prominens. — *Pedes* breves, fortes, compressi; tarsis longiusculis, articulo penultimo dilatato, bilobo, subtus spongioso, ciliato.

Typus: — Barid. (Solenosternus) puncticollis nob. n. sp. ex Amer. merid.

A σωλὴν canalis, ςτέρνον pectus inferius.

Observatio. — Ad habitum non solum subgeneri praecedenti (Cyphirhino) sed etiam quibusdam Baridii genuini generis speciebus simillimum est hoc subgenus; at vero diversa rostri structura atque perspicua canalicula pectoralis essentialem efficiunt differentiam. Propter canaliculam jam memoratam pectoralem, hoc subgenus transitum quasi et seriem inter Cholidum et Cryptorhynchidum divisiones constituit.

(*Divisio* 3a. Cryptorhynchides. Rostrum inflexum, in canaliculam pectoralem, plus minusve distincte profundam, applicandum. Pedes antici basi saepissime distantes.)

*) Genus 163. **Cratosomus** nob. — **Cryptorhynchus** Germ.

Character generis: — **Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis 1-4 elongatis, obconicis, ultimis lenticularibus; clava minuta, ovalis.**

Rostrum in plerisque latum, complanatum, subrectum, in aliis teres, arcuatum, aut supra aequale, aut inaequale.

Oculi plus minusve remoti, ovati.

Thorax anterius angustior, antice non sinuato-lobatus, pectus subtus semper canaliculatum.

Elytra oblongo-ovata, convexa, apice obtuse rotundata.

Descriptio: — *Corpus* magnum, oblongo-ovatum, varicolor, alatum. — *Antennae* thoracis medium pertingentes, ante medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° breviusculo, oculos non attingente, clavato, 2-5 elongatis, obconicis, exterioribus sensim paullo brevioribus, 6-8 brevibus, aut apice truncatis, aut subrotundatis; clava minuta, breviter ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* longitudine thoracis, inflexum, in plerisque sublatum, complanatum, subrectum, aequale, in nonnullis arcuatum aut crassiusculum, inaequale, aut teres, aequale; scrobe brevi, ante medium incipiente, subrecta, in basi rostri desinente. — *Caput* parum exsertum, convexum. — *Oculi* aut subremoti, aut parum approximati, ovati, modice prominuli, parvi. — *Thorax* longitudine vix latior, anterius angustior, truncatus, non sinuato-lobatus, ad latera antica subcoarctatus, lateribus rotundatus; postice leviter bisinuatus, supra convexus, subtus profunde canaliculatus; canalis usque inter pedes secundi paris in pectus protensus, argute marginatus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* thorace paullo latiora, quo triplo longiora, oblongo-ovata, convexa, versus apicem subcallosa, humeris obtuse angulatis; apice ipso obtuse rotundata, abdomen tegentia. — *Pygidium* apterum, semirotundatum, in medio carinatum, deflexum, extra apicem elytrorum non prominens. — *Pedes* validi, longitudine subaequales; femoribus in medio **incras-**

satis, subtus dente minuto saepius instructis; tibiis teretibus, anticis basi interdum curvatis, omnibus apice unco valido intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bilobo, ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. — Rostrum sublatum, complanatum, aequale, parum arcuatum.

Typus: — Rhynch. herculeanus Dalm. Anal. — Huc quoque pertinent: Cryptorh. sticticus et ej. var. Crypt. impluviatus Germ. — Cratos. heros nob. n. sp.

Stirps 2a. — Rostrum arcuatum, inaequale.

Typus: — Cratosom: pterygomalis nob.

Stirps 3a. — Rostrum arcuatum, subtenue, teres, aequale; scapus antennarum subelongatus. Pygidium haud apterum.

An huius generis — Rhynchaen. pusio Fabr.?

A κράτος robur, σῶμα corpus.

Observatio: — Maximae in hac divisione sunt hujus generis species; quod, praeter jam designatos rostri antennarumque characteres facile cognoscitur per formam pygidii in plerisque huc pertinentibus speciebus, evidenter distinctam, quod sextum quasi articulum abdominis format, non tamen ultra elytrorum apicem prominens.

Subgenus Gorgus nob. — Cryptorhynchus Germ. — Rhynchaenus et Lixus Fabr.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis 1-4 elongatis, subobconicis, apice subinflatis, exterioribus sensim brevioribus, 5-7 lenticularibus, subrotundatis; clava minuta, breviter ovata. — *Rostrum* robustum, basi teres, apice deplanatum, arcuatum, aequale, nonnunquam utrinque pone basin cornibus, validis armatum. — *Oculi* magni, in vertice conniventes. — *Thorax* in plerisque breviter subconicus, in nonnullis medio subangulatus, antice truncatus, postice leviter bisinuatus, supra parum convexus; rima pectoralis profunda, inter pedes intermedios distincte terminata. — *Elytra* subovata, humeris

angulatis; supra convexa, apice aut mucronata, aut obtuse rotundata. — *Pygidium* saepius distinctum, abdomini contiguum. — *Pedes* ita, ut in genere Cratosomi genuini compositi. — *Corpus* robustum, durum, inaequale, aut tuberculatum, aut exsculptum, alatum.

Stirps 1ª. Thorax supra inaequalis. Elytra apice mucronata.

Typus: — Cryptorh. lentiginosus Germ. Congenerici: Rhynchaen. Taurus Fabr. Oliv. — Rhynchaen. vaginalis et scaber Fabr. — Cratosomus (Gorgus) cornutus et lacrymans nob.

Stirps 2ª. — Thorax supra laevis. Elytra apice obtuse rotundata.

Typus: — Lixus dubius Fabr. Curc. idm Herbst. — Huc quoque pertinet: Cratosomus (Gorgus) minax nob.

A γοργός terribilis.

Observatio: — Etsi habitus, et praesertim situs oculorum in his a Cratosomis genuinis abhorreat, magnam tamen reliquae notae magis essentiales cum illis habent convenientiam; idoneum igitur mihi visum, unum tantum ex his speciebus constituere subgenus. A Genere Cryptorhynchi, praeter insignem magnitudinem, praecipue etiam quoad antennas ante medium rostri insertas, scapum breviusculum clavamque minorem, et thoracem antice non sinuato-lobatum, diversum redditur.

Genus 164. Cryptorhynchus Illig. Germ. — Rhynchaenus Fabr. Oliv. Gyllenh.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articuli primi reliquis paullo longiores, subobconici, ultimis lenticularibus; clava aut oblongo-ovata, aut ovalis.

Rostrum aut longum, aut breviusculum, arcuatum, saepissime teres.

Oculi laterales, plus minusve remoti.

Thorax saepius transversus, subconicus, versus apicem angustatus, antice pone oculos saepissime lobatus; rima thoracis infera, aut ad pedes secundi paris in pectus continuata, aut plus minusve abbreviata.

Elytra subovata, convexa, posterius attenuata, anum obtegentia; humeri angulati.

Descriptio: — *Corpus* mediocris magnitudinis, statura varians, alatum. — *Antennae* capitis thoracisque longitudinem vix adaequantes, saepius pone medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae; scapo elongato, clavato, oculos subattingente; funiculo 7-articulato: articulis basalibus 2 vel 4 elongatis, obconicis, exterioribus sensim brevioribus, reliquis brevibus, aut subrotundatis, aut apice truncatis; clava 4-articulata, articulis saepissime arcte conjunctis, vel oblongo-ovata, acuminata, vel ovali. — *Rostrum* crassitate longitudineque varians: plerumque thorace fere longius, inflexum, saepe arcuatum; in aliis longitudinem dimidii corporis adaequans, vel amplius, teres, minus crassum; in paucis filiforme, nonnunquam basi teres, versus apicem ampliatum, complanatum, (ex. gr. Cryptorh. piger Fabr.); scrobes pone medium incipientes, lineares, curvatae, in basin rostri subtus coëuntes. — *Oculi* laterales, plus minusve remoti, ovati, oblique positi, parum prominuli, majusculi. — *Thorax* in plerisque longitudine latitudinem vix superans, antice angustatus, coarctatus, in apicis medio saepius sinuato lobatus, in plerisque exigue pone oculos lobatus, lateribus rotundatus, postice leviter bisinuatus, supra parum convexus; rima infera, aut usque ad intermedium pedum parem in pectus continuata, argute marginata, aut abbreviata, apice sensim explanata. — *Scutellum* rotundatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi fere dimidio latiora, quo fere quadruplo longiora, posterius attenuata, supra in multis valde convexa, interdum gibba, in aliis minus convexa, dorso deplanata, versus apicem declivia, callo tuberante instructa, apice ipso rotundata, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis, in quibusdam elevatis, rectangulatis. — *Pedes* elongati, validi, medii saepius breviores; femoribus clavatis, aut dentatis, aut muticis, in nonnullis infra canaliculatis;

tibiis compressis; apice unco, interdum deflexo, intus armatis; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulis duobus basalibus trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo valido, clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. (Genuini) — Rima thoracis infra, usque ad pedes intermedios, protensa, apice argute marginata.

Manipulus 1s. Lobi thoracis pone oculos distincti.

Typus: — Cryptorh. Lapathi Auctor. — Congenerici: Rh. piger, Mangiferae, aspis et areneus Fabr. — Crypt. ochroleucus. Germ. — Coelosternus balteatus Sahlb. — et species multo plures.

Manipulus 2s. Lobi thoracis pone oculos aut obsoleti, aut nulli.

Typus: — Rhynchaenus haemorhoïs Fabr. — et species plures aliae.

Stirps 2a. (Spurii) — Rima thoracis infera, abbreviata, apice sensim explanata.

Manipulus 1s. Lobi thoracis pone oculos distincti.

Typus: — Rhynchaen. hebes Auctor. — Congenerici: Rh. palpebra, argula et abdominalis Fabr. et multae aliae.

Manipulus 2s. Lobi thoracis aut obsoleti, aut nulli.

Typus: — Rhynchaenus calidus Fabr. — Congenerici: Rh. metallinus et irroratus Fabr. — Orobitis novalis Germ. aliae ne enumerentur.

A κρύπτω abscondo, ῥύγχος rostrum.

Observatio: — Hoc genus quoad habitum multo variat. Plurimas hujus familiae species huc retuli, in quibus duo priores. l. quatuor funiculorum articuli sunt obconici et sequentibus paullo longiores, oculi non conniventes, scutellum distinctum, elytra totum abdomen obtegentia. —

Observationes, quas potui singulis huic Divisioni adscriptis generibus adjicere, differentias certe, quibus a genere Chryptorhynchi abhorreant, facillime indicabunt. —

Etsi multam quidem adhibuerim diligentiam in formando stirpes in hoc numeroso genere, aut secundum numerum

rticulorum obconicorum, aut secundum diversam rostri, ocu-
orum et corporis habitualem structuram, hoc tamen nequic-
nam conatus fui; Sectiones igitur ab Sollertiss. Dom. Ger-
aro propositas retinere coactus sum.

Subgenus A. Mecocorynus nob. — Cryptorhynchus Wiedem.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres, prope medi-m rostri insertae, subtenues; scapo oculos subattingente, lavato; funiculo 7-articulato: articulis 1-4 elongatis, ob-onicis, 5-7 brevibus, subglobosis; clava elongata, subcy-ndrica, apice oblique acuminata, articulis aegre distinctis. — *Rostrum* longitudine capitis una cum thorace, subtenue, per-arum arcuatum, ante medium paullulum crassius, cylindri-um, exinde versus apicem sensim complanatum. — *Oculi* terales, perpendiculares, ovati, vix prominuli, majusculi. — *Thorax* basi bisinuatus, antrorsum angustatus, coarctatus, terihus rotundatus, apice productus, pone oculos lobatus, pra modice convexus, subtus pro receptione rostri pro-nde canaliculatus; canalis in pectus haud continuatus. — *Elytra* subovata, humeris latis, acutangulatis; supra convexa, rsus apicem callosa. — *Pedes* elongati, validi; femoribus ıvatis, muticis; tibiis rectis, subteretibus, apice unco sub-flexo armatis; tarsis ut in Cryptorhynchis genuinis.

Typus: — Cryptorh. varipes Wiedem. Unam tan-m speciem vidi.

A μῆκος longitudo, κορύνη clava.

Observatio: — Generi Cryptorhynchi proximum; ıva vero antennarum aliter constructa praecipue differt.

Subgenus B. Camptorhinus nob. — Rhynchaenus Fabr. Oliv.

Adumbratio: — Antennae breviusculae, minus te-es; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus elon-tis, obconicis, reliquis brevibus, apice subtruncatis, pa-m coarctatis, crassitudine paullatim crescentibus; clava ob-se ovali, 3 l. 4 articulata, articulis arctissime conjunctis. — *Rostrum* elongatum, validiusculum, subteres, parum arcua-m. — *Oculi* distantes, demissi, infra caput fere connexi,

ovati, depressi. — *Thorax* latitudine longior, pulvinatus, basi obsolete bisinuatus, anterius paullo angustior, antice productus, lateribus aequaliter rotundatus, pone oculos lobatus; canalis inferus in plerisque, inter pedes anticos protensus, argute marginatus, in paucis ante pedes anticos abbreviatus. — *Elytra* medio thoracis haud latiora, quo triplo l. quadruplo longiora, in plerisque subcylindrica, lateribus subrecta, in paucis oblongo-subovata, supra convexa. — *Pedes* antici, praesertim vero postici longi, intermedii breviores, validi; femoribus saepius parum incrassatis, subtus denticulo instructis; tibiis apice unco minuto armatis, aut teretiusculis, anticis arcuatis, intus pilosis, posterioribus rectis, aut omnibus validis, compressis.

Stirps 1ª. — Canalis thoracis inferus, inter pedes anticos protensus, argute marginatus. Elytra subcylindrica.

Typus: — Rh. pilipes Fabr. — Congenerici: — Curc. tibialis Sparrm. Rhynchaen. Statua Fabr.

Stirps 2ª. — Canalis thoracis inferus, apice ante pedes anticos abbreviatus. Elytra oblongo-subovata.

Typus: — Cryptorh. (Camptorh.) inquinatus, nob. e Sierra Leona.

A καμπτήρ incurvus, flexus, ῥὶν nasus.

Observatio: — Multa cum Cryptorhynchis genuinis communia quidem hoc subgenus habet, propriam vero et singularem, ab eodem genere diversam faciem reddunt: forma longior corporis magisque cylindrica et femora postica elongata.

Subgenus C. Coelosternus nob. Cryptorhynchus Germ. Dej.

Adumbratio: — *Antennae* breviusculae, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulis 2 l. 4 basalibus obconicis, reliquis subrotundatis, paullulum coarctatis; clava elongata, cylindrica. — *Rostrum* longum, arcuatum, aut subcomplanatum, aut teres, subfiliforme. — *Oculi* laterales, ovati, modice prominuli. — *Thorax* basi bisinuatus, antrorsum valde angustatus, coarctatus, apice productus, lateribus rotundatus, pone oculos lobatus, supra convexus, aut canaliculatus, aut carinatus, canalis inferus in pectus continua-

tus. — *Scutellum* rotundatum, distinctum. — *Elytra* in plerisque medio thoracis haud latiora eoque triplo longiora, a basi ad apicem parum sensimque attenuata; humeris saepius obsolete subangulatis, in nonnullis distincte obtuse angulatis. — *Pedes* elongati, antici praesertim in masculis valde longi; femoribus anticis bidentatis; tarsis in masculis saepius villosis, in nonnullis articulis duobus basalibus elongatis, penultimo in omnibus semper dilatato, subtus spongioso.

Stirps 1a. Antennarum funiculi duo articuli basales oblongi, subobconici. Rostrum validiusculum, subcomplanatum.

Typus: — Cryptorh. asperatus Dej. Catal. Congenerici: Cryptorh. cylindricornis et occatus Germ.

Stirps 2a. Articuli quatuor funiculi basales oblongi, obconici. Rostrum teres, subfiliforme, basi carinatum.

Typus: — Cryptorh. compernis Germ. — Congen. Cryptorh. alternans et dentipes Dej. Catal.

A κοῖλος cavus, στέρνον pectus inferius.

Observatio: — Clava antennarum cylindrica pedibusque anticis elongatis hoc subgenus a Cryptorhynchis genuinis praecipue dignoscitur.

Genus 165. Macromerus nob. — Poecilma Germ. — Cryptorhynchus Dej. — Rhynchaenus Fabr. Oliv.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis 1-4 elongatis, obconicis, 2° longiore, 5-7 brevibus, subglobosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum longum, subfiliforme, basi teres, apice nonnihil deplanatum, arcuatum.

Oculi laterales.

Thorax subconicus, antrorsum coarctatus, antice et pone oculos saepissime lobatus; canalis inferus in pectus continuatus.

Elytra oblongo-triangularia.

Femora antica saepius valde elongata.

Tarsorum articulus basalis satis elongatus.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-subovatum, alatum. — *Antennae* capitis thoracisque longitudinem vix adaequantes, ante medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulis funiculi 1-4 elongatis, obconicis, 2° longiore, 5-7 brevibus, subrotundatis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulo ultimo minuto, aegre perspicuo. — *Rostrum* capite thoraceque longius, subfiliforme, basi teres, apice perparum deplanatum, arcuatum; scrobe in medio incipiente, lineari, angusta, profunda, pone canthum oculi inferum exeunte. — *Oculi* magni, laterales, parum remoti, ovati, nonnihil prominuli. — *Thorax* latitudine postice brevior, basi leviter bisinuatus, versus scutellum anguste productus, lateribus a medio ad apicem attenuatus, antice coarctatus, in medio saepius productus, pone oculos lobatus, supra in medio nonnihil deplanatus; canalis inferus inter pedes intermedios in pectus protensus, argute marginatus. — *Scutellum* rotundatum, distinctum. — *Elytra* basi thoracis paullo latiora, quo vix triplo longiora, oblongo-triangularia, humeris subretusis, obtuse angulatis; dorso deplanata, versus apicem callosa, apice ipso rotundata, abdomen obtegentia. — *Pedes* elongati, medii breviores, antici, praesertim in masculis, maximi; femoribus parum incrassatis, subtus dentatis; tibiis anticis saepius bisinuatis, intus denticulatis, apice extus unco deflexo armatis; tarsis longis, gracilibus, in masculis saepius villosis, articulo 1° in plerisque valde elongato, basi subtereti, in aliis elongato, trigono, penultimo latiore, bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Poecilma crinitarse Germ. — Congenerici: Rhynchaen. Chimaris Fabr. — Macromerus Monachus nob.

A μακρὸς longus, μηρὸς femur.

Observatio: — Respectu habitus Cryptorhynchi generi simile est, differt vero secundo funiculi articulo reliquis omnibus longiore, articulo etiam primo tarsorum valde

elongato. Cum subgenere Coelostorni quidem in multis conveniunt hujus generis species, dignoscuntur autem diversa antennarum structura ut et forma corporis alia.

Genus 166. Arthrostenus nob.

Character generis: — Antennae longiusculae, tenues; funiculo 7-articulato: articulo 1-4 longiusculis, obconicis, 5-7 brevissime obconicis; clava elongata, fusiformis.

Rostrum longiusculum, teres, subtenue.

Oculi laterales, rotundati, prominuli.

Thorax subconicus, antice in medio productus, pone oculos vix lobatus; canalis inferus brevis.

Elytra oblongo-ovata, versus apicem non callosa.

Tibiae subrectae, intus crenulatae, apice unco horizontali armatae.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, alatum; facies generis Erirhini. — *Antennae* thoracis medium fere superantes, pone medium rostri insertae, tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, recto, clavato, 2-5 longiusculis, obconicis, 6-8 brevissime obconicis, gradatim paullulum latioribus; clava elongata, fusiformi, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* thorace longius, subtenue, teres, parum arcuatum; scrobe lineari, pone canthum oculi inferum in basin rostri subtus exeunte. — *Oculi* laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius angustatus, lateribus parum rotundatus, subconicus, basi obsolete bisinuatus, apice in medio nonnihil productus, supra modice convexus, lobis ocularibus magis obsoletis; canali infero, brevi, profunde exarato, ante pedum anticorum basin desinente. — *Scutellum* distinctum, aut triangulatum, aut apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi vix dimidio latiora, quo vere triplo l. quadruplo longiora, oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis; supra modice convexa, versus apicem haud callosa, apice ipso subacuminata, abdomen obtegentia. — *Pedes* elongati, subtenues, antici approximati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, intus evidenter crenulatis, apice unco horizontali intus armatis; tarsi tibiis paullo bre-

viores, articulis 1,2 elongato trigonis, penultimo latiore, cordato, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Fullo Boeb. in litt. — Congenerici: Arthrosten. spadiceus et cinereus nob.

Ab ἄρθρον artus, στενός angustus, arctus.

Observatio: — Cum forma habituali generis Erirhini, tum oculis rotundatis, prominulis, pariter ac tibiis intus evidenter crenulatis, hoc genus, tam a Cryptorhynchis, quam a reliquis hujus Divisionis generibus, dignoscitur.

**) Genus 167. Lyprus nob. — Rhynchaen. Gyll. — Lixus Ahrens.

Character generis: — Antennae breves, subtenues; funiculo 6-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, 3-6 brevibus, coarctatis, subperfoliatis; clava ovalis, magna.

Rostrum elongatum, cylindricum, arcuatum.

Thorax subcylindricus, in medio paullo rotundatus, antice posticeque truncatus.

Elytra elongata, cylindrica, versus apicem attenuata, compressa.

Tarsi angustati, compressi.

Descriptio: — *Corpus* angustum, cylindricum, parvum; alae abbreviatae. — *Antennae* longitudinem rostri thoracisque vix aequantes, ante medium rostri insertae, subtenues, fractae, 11-articulatae: articulo 1° oculos attingente, clavato, 2 et 3 longiusculis, obconicis, 2° majore, 4-7 brevibus, coarctatis, subperfoliatis, crassitudine crescentibus; clava ovali, magna, 4-articulata, articulis arcte conjunctis. — *Rostrum* thorace paullo brevius, validiusculum, cylindricum, deflexum, arcuatum; scrobe brevi, ante medium incipiente, versus apicem sensim ampliata, recta in margine oculi antico desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, perparum prominuli. — *Thorax* latitudine longior, angustior, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi apiceque truncatus, obsolete pone oculos labatus, supra parum convexus, infra pone gulam profunde emarginatus, sulco pro receptione rostri brevi,

ante pedum anticorum basin desinente. — *Scutellum* minutum, aegre observatu. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, quo vero triplo longiora, subcylindrica, versus apicem attenuata, compressa, apice ipso obtuse rotundata, abdomen obtegentia. — *Pedes* mediocres, intermedii paullo breviores, antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, intus subbisinuatis, omnibus interiore apice unco valido armatis; tarsis angustatis, compressis, haud spongiosis, articulo ultimo elongato, vix clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. cylindrus Gyll. Ins. Sv. vel Lix. attenuatus Ahrens. nec plures species vidi.

A λυπρὸς gracilis, tenuis, vilis.

Observatio. — Statura Lixi generi fere appropinquat, thorax autem infra canaliculatus atque aliter antennae sunt constructae.

Genus 168. Bagous Germ. — Rhynchaenus Gyllenh. Oliv. — Curculio Fabr. Herbst.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus elongatis, obconicis, reliquis subperfoliatis, coarctatis, versus apicem gradatim latioribus; clava ovalis, magna.

Rostrum breviusculum, arcuatum, robustum, teres.

Thorax subcylindricus, antice late emarginatus, exigue pone oculos lobatus; canalis inferus, brevis.

Elytra oblongo-ovata, versus apicem valde callosa, abdomen obtegentia; humeri obtuse angulati.

Tibiae longae, versus apicem arcuatae, apice ipso unco acuto armatae; tarsi angustati.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-subovatum, squamulis saepius etiam luto adglutinato obductum; minoris magnitudinis, alatum. — *Antennae* capite rostroque paullo longiores, pone medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos subattingente, clavato, 2° et 3° elongatis, obconicis, illo crassiusculo, 4-8 brevibus, coarctatis, quorum duo ultimi subperfoliati, clavam fere incipientes; clava ovali, magna, 4 articulata, articulis difficile

observandis. — *Rostrum* thorace fere brevius, crassiusculum, arcuatum, teres; scrobe versus apicem incipiente, profunda, recta, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, ovati, parum prominuli, magni. — *Thorax* longitudine latitudinem vix superans, subcylindricus, anterius angustior, antice pro receptione capitis late, nec profunde emarginatus, saepius pone apicem transversim impressus, unde margo elevatus videtur, basi truncatus, supra parum convexus, lobis pone oculos magnis productus, infra pone gulam profunde emarginatus; canalis inferus, profundus, brevis, ante pedum anticorum basin desinens. — *Scutellum* parvum, rotundatum. — *Elytra* thorace fere duplo latiora, quo vix quadruplo longiora, humeris obtuse angulatis; versus apicem attenuata, dorso antico depressa, posterius valde declivia et versus apicem callosa, apice ipso obtuse rotundata, abdomen obtegentia. — *Pedes* elongati, tenues, antici approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis longis, versus apicem arcuatis, apice intus unco acuto armatis; tarsis longiusculis, angustatis, subtus vix spongiosis, articulo ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. binodulus Gyll. Ins. Sv. — Species mihi cognitae et huc pertinentes, sunt: Rhynchaen. lutulentus et lutosus Gyll. — Curc. collignensis Herbst. — C. cnemerythrus Marsh.

Bagous nomen Persicum: spado, castratus.

Observatio: — Antennae breves, clava magna, tibiae longae, arcuatae, tarsi angustati, hoc genus distinctu facile reddunt.

Genus 169. Scleropterus nob. — Cryptorhynchus Germ.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis omnibus obconicis, versus apicem gradatim brevioribus; clava oblongo-ovata.

Rostrum sat elongatum, robustum, arcuatum, teres.

Thorax longus, ante apicem valde coarctatus, antice parum productus.

Elytra thorace latiora, breviter ovata; humeri lati, obtuse angulati.

Tibiae anticae elongatae, ante apicem curvatae.

Descriptio: — *Corpus* parvum, subovatum, durum, forte apterum. — *Antennae* capite rostroque vix longiores, in medio rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, clavato, oculos subattingente, 2° obconico, reliquis paullo crassiore, 3-7 versus apicem paullulum latioribus et gradatim brevioribus, etiam obconicis, 8° multo breviore et latiore, clavam fere incipiente; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulo ultimo minutissimo. — *Rostrum* thoracis longitudine, crassiusculum, teres, modice arcuatum; scrobe obliqua, ad oculum protensa. — *Caput* aliquantulum prominulum, convexum. — *Oculi* laterales, subrotundati, parum prominuli. — *Thorax* latitudine longior, antrorsum multo angustior, in medio apicis vix productus, ante apicem valde coarctatus, medio parum ampliatus, basi subtruncatus, pone oculos lobis minutis, productis; canalis inferus usque inter pedum intermediorum basin in pectus protensus, profundus, argute marginatus. — *Scutellum* haud observandum. — *Elytra* basi thoracis dimidio latiora, eoque duplo longiora, breviter ovata, convexa, humeris latis, obtuse angulatis; lateribus versus apicem sensim angustata, apice obtusa, abdomine nonnihil breviora, nec alas ullas obtegere videntur. — *Pedes* validi, antici longiores; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis anticis elongatis, ante apicem curvatis, posterioribus subrectis, omnibus apice truncatis, inermibus; tarsis subtus spongiosis, articulis 1 et 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato, unguibus brevibus.

Typus: — Cryptorh. serratus Eschsch. et Germ. Hanc unicam vidi speciem.

A σκληρὸς durus, πτερὸν ala.

Observatio: — Structura antennarum, rostri tibiarumque anteriorum, quae in his ab structura Cryptorhynchi generis longe est diversa, separationem ab eodem merito postulare videtur.

Genus 170. **Tapinotus** nob.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 6-articulato: articulis tribus basalibus elongatis, subobconicis, 4-6 brevibus, apice truncatis; clava ovali, acuminata.

Rostrum subelongatum, robustum, teres, arcuatum.

Thorax basi bisinuatus, anterius paullo angustior, apice reflexus, lobis ocularibus exiguis; canalis inferus abbreviatus.

Elytra oblongo-subquadrata, dorso antico deplanata, apice ipso singulatim rotundata, abdomine breviora.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, minoris magnitudinis, alatum, — *Antennae* rostro capiteque fere longiores, pone medium rostri insertae, subtenues, articulo 1° elongato, oculos subattingente, clavato, 2-4 elongatis, subobconicis, 2° paullo majore, 5-7 brevibus, apice truncatis; clava ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite duplo longius, robustum, teres, modice arcuatum; scrobe curvata, lineari, haud profunda, ante marginem anticum oculi desinente. — *Oculi* laterales, subrotundati, parum prominuli. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius paullo angustior, subconicus, basi bisinuatus, lobo scutellari minuto productus, lateribus paullulum rotundatus, margine antico truncato, reflexo; supra modice convexus, pone oculos lobis exiguis instructus, infra pone gulam profunde emarginatus; canalis inferus obsoletus, ante pedum anticorum basin desinens. — *Scutellum* minutissimum, triangulare, vix conspicuum. — *Elytra* thorace dimidio latiora, quo fere triplo longiora, oblongo subquadrata, humeris obtuse angulatis, subretusis; dorso praesertim antice, deplanata, versus apicem valde callosa, apice ipso singulatim rotundata, abdomen haud obtegentia. — *Pygidium* semirotundatum, nudum. — *Pedes* longiusculi, validiusculi, subaequales, antici distantes; femoribus clavatis, subtus dentatis; tibiis rectis, teretiusculis, apice muticis; tarsi tibiis parum breviores, articulo penultimo dilatato, bilobo, subtus spongioso, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Tapinotus ephippiger nob. ex Europa temperata. Hanc unicam vidi speciem.

A ταπεινὸς humilis, νῶτος dorsum.

Observatio: — Articulorum funiculi numero et forma, thoracis margine antico reflexo elytrisque dorso deplanatis, abdomine brevioribus, hoc genus a reliquis hujus Divisionis generibus dignoscitur. Canalis inferus thoracis abbreviatus quidem est et obsoletus, unde hocce genus ad Cholidis Divisionem referri posse videretur; cum vero canalicula tamen adsit, hoc genus heic sibi locum occupet volui. Quaedam quoque, respectu thoracis elytrorumque formae, etsi corpus longius ceteraeque partes aliter sint constructae, Ceutorhynchi generi similitudo intercedit.

Genus 171. Ulosomus nob.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 6-articulato: articulis duobus basalibus elongatis, obconicis, reliquis brevibus, lenticularibus, crassitudine crescentibus; clava subovata.

Rostrum elongatum, minus tenue et arcuatum, versus apicem deplanatum.

Thorax longus, antrorsum multo angustior et coarctatus, basi truncatus, convexus; canalis inferus, in pectus continuatus.

Elytra subovata, posterius attenuata, valde convexa.

Descriptio: — *Corpus* subovatum, dense squamosum, asperum, minoris magnitudinis, alae abbreviatae. — *Antennae* capite rostroque longiores, in medio rostri insertae, subtenues, fractae, 11-articulatae: articulo 1° oculos haud attingente, subclavato, 2 et 3 elongatis, subobconicis, illo crassiusculo, 4-7 brevibus, lenticularibus, exterioribus sensim paullo crassioribus; clava subovata, 4-articulata, articulis discretu difficilibus. — *Rostrum* longitudinem capitis thoracisque vix aequans, crassiusculum, modice arcuatum, versus apicem parum deplanatum, nonnihil ampliatum; scrobe lineari, pone canthum oculi inferum exeunte. — *Oculi* laterales, rotundati, depressi, parvi. — *Thorax* latitudine postica longior, antrorsum multo angustior et coar-

ctatus, basi truncatus, apice rotundato-productus, lateribus parum rotundatus, supra convexus, lobis ocularibus obsoletis; rima thoracis infera usque ad pedes intermedios continuata, argute marginata. — *Scutellum* minutum quidem, tamen distinctum, punctiforme. — *Elytra* breviter subovata, antice thoracis basi paullo latiora, ante medium ampliata, thorace vix triplo longiora, posterius attenuata, apice obtuse rotundata, supra valde convexa, abdomen obtegentia. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales; femoribus in medio parum incrassatis, muticis; tibiis validiusculis, subcompressis, apice intus uncinatis; tarsorum articulo penultimo bilobo, subtus spongioso, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Ulosomus Erinaceus nob. ex. Ins. St. Barthol.

Ab οὖλος crispus, σῶμα corpus.

Observatio. — A Cryptorhynchidibus caeteris differt: funiculo tantum 6-articulato, oculis rotundatis aliisque notis minoris momenti, quare ut proprium genus hoc constitui. Quandam cum Acallis subgenere et praesertim cum Tylodis (Acall.) Ptinoïde hoc genus respectu habitus affinitatem habere videtur: cum vero scutellum vere adsit, et funiculus antennarum minori articulorum numero gaudeat, hoc videtur essentialem differentiam posse efficere.

Genus 172. Tylodes nob. — Sahlb.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis 3 l. 4 basalibus, elongatis, subobconicis, reliquis brevioribus; clava ovalis.

Rostrum validum, subteres; parum arcuatum.

Thorax anterius angustior, parum productus, basi subtruncatus; canalis inferus in pectus continuatus.

Scutellum nullum.

Elytra connata, oblongo-ovata, basi coarctata.

Descriptio: — *Corpus* oblongo-ovatum, durum, rigidum, obscurum, squamosum, apterum. — *Antennae* capitis rostrique longitudine, in medio rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae; articulo 1° elongato, cla-

vato, oculos subattingente, 2, 3, 4 interdum etiam 5 elongatis, subobconicis, 1. apice inflatis, reliquis breviusculis ovalibus; clava ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine thoracis, validum, subteres, parum arcuatum, versus apicem sensim paullulum ampliatum; scrobe recta, profunda, pone canthum oculi inferum exeunte. — *Oculi* laterales, ovati, subdepressi. — *Thorax* longitudine latitudinem vix superans, antice angustatus, parum productus, lateribus rotundatus, postice subtruncatus, supra modice convexus, pone oculos lobatus, subtus pro receptione rostri profunde exaratus; canalis per pectus inter pedes medios continuatus, argute marginatus. — *Scutellum* omnino nullum. — *Elytra* thoracis basi haud latiora, quo fere triplo longiora, oblongo-ovata, antice truncata, mox pone basin transversim coarctata, supra convexa, versus apicem attenuata, subcompressa, declivia, apice ipso rotundata, abdomen obtegentia. — *Pedes* elongati, validi, medii breviores; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis saepius crassiusculis, subcompressis, subrectis, apice unco valido intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ultimo valde clavato, biunguiculato.

Typus: — Tylodes Armadillo Sahlb. n. sp. Ins. I. p. 49. 32. — Hujus generis tres species, adhuc indescriptas, vidi.

A τυλώδης callosus.

Observatio: — Corpus robustior, habitualis forma diversa et scutelli defectus praeter alias, minus essentiales differentias, genus hocce a Cryptorhynchis genuinis distinguere mihi videntur.

Subgenus Acalles nob. — Rhynchaenus Fabr.

Adumbratio: — *Antennae* mediocres, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus obconicis, reliquis subrotundatis, subcoarctatis; clava breviter ovata. — *Rostrum* thorace longius, validum, subteres, nonnihil arcuatum, versus apicem sensim parum ampliatum. — *Oculi* laterales, ovati, subdepressi, minuti. — *Thorax* sublongus, convexus, basi subtruncatus, antice productus, pone oculos exigue lobatus, lateribus in plerisque subaequaliter rotundatus, in paucis antice latior, posterius multo angustior, cana-

lis inferus inter pedum anticorum basin desinens, profundus, argute marginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* ovata, basi thoracis vix latiora, lateribus usque ad apicem rotundata, medio latiora, apice ipso aut rotundata, aut obtusa, supra valde convexa, abdominis latera subincludentia. — *Pedes* ita ut in genere Tylodis constructi, praeter articulum ultimum tarsorum minus clavatum. — *Corpus* oblongo-ovatum, durum, inaequale, apterum.

Typus: — Rhynchaen. Camelus Fabr. — Huc quoque referuntur: Rhynchaen. Ptinoïdes Gyllenh. Ins. Sv. — Rhynchaen. hypocritus. Creutz. et praeter has tres indescriptae species.

Ab ἀκαλλής deformis, haud elegans.

Observatio: — Antennarum elytrorumque structura aliquanto diversa ut et canali infero thoracis magis abbreviato, hoc subgenus a Tylode distinguitur.

***) Genus 173. Ceutorhynchus Schüpp. Germ. — Nedyus et Rhinoncus nob. olim. — Rhynchaenus Fabr. Gyllenh. Oliv. — Falciger Megerle, Dej. — Campylirhynchus Meg. Dej.

Character generis: — Antennae breviusculae, graciles; funiculus 7-articulatus: articuli primi reliquis longiores, subobconici, ultimi aut breves, apice truncati, aut lenticulares; clava ovata, acuminata.

Rostrum arcuatum, in aliis elongatum, filiforme, in aliis breviusculum, teres.

Thorax anterius valde attenuatus, coarctatus, postice bisinuatus, pone oculos saepius lobatus; canalis inferus aut in pectus continuatus, aut plus minusve abbreviatus.

Scutellum minutum, vix conspicuum.

Elytra subtriangularia, apice singulatim rotundata, abdomine breviora.

Tibiae apice truncatae, muticae.

Descriptio: — *Corpus* breve, parvum, rigidum, contractum, ovatum l. subquadratum, alatum, supra aut

squamulosum, aut scabrosum, nunquam politum. — *Antennae* rostro capiteque longiores, aut inter medium et apicem, aut in medio rostri insertae, graciles, fractae, 12-articulatae; scapo clavato, oculum vix attingente; funiculo 7-articulato: articulis basalibus 2 l. 3 elongatis, subobconicis, reliquis aut brevibus, apice truncatis, aut lenticularibus; clava ovata, acuminata, in plerisque 4-in paucis 5-articulata, tunc articulo basali minuto aucta, (ex. gr. Ceut. pericarpius, gramineus et inconspectus,) articulis semper arcte connexis. — *Caput* in plerisque convexum, in quibusdam depressum. — *Rostrum* crassitudine longitudineque variat, vel capitis thoracisque longitudine, filiforme, subtenue, in aliis teres, validiusculum, in aliis breviusculum, crassiusculum, semper arcuatum, in rimam thoracis inferam versus apicem explanatam sese inserit; scrobe lineari, pone canthum oculi inferum exeunte. — *Oculi* semper remoti, rotundati, plus minusve prominuli. — *Thorax* longitudine fere latior, subconicus, antrorsum valde angustior, coarctatus, basi bisinuatus, saepius dorso spinosus, vel tuberculatus, margo anticus saepissime elevatus, reflexus, nonnunquam subaequalis, lobis ocularibus aut obsoletis, aut modice productis; subtus sulco pro receptione rostri exarato, vel in pectus continuato, manifesto, vel magis obsoleto, abbreviato instructus, et tunc coxae pedum anticorum tuberosae, elongatae, crassae sulcum praebent. — *Scutellum* minutum, profunde impressum. — *Elytra* thoracis basi multo latiora, humeri prominuli, obtuse angulati; thorace triplo longiora, posterius angustiora, apice ipso singulatim rotundata, supra aut convexa, aut dorso planiuscula, abdomine paullo breviora. — *Pygidium* evidenter distinctum. — *Pedes* mediocres, validi, antici magis approximati, plerumque paullo longiores; femoribus clavatis, aut dentatis, aut muticis; tibiis teretibus, in nonnullis subcompressis, apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. (Genuini: Nedyus nob. olim.) Rostrum longius, tenue.

Manipulus 1s. Thoracis canalis inferus pectus transit et usque inter basin pedum intermediorum protenditur, argute marginatus.

†) Thorax subaequalis, non tuberculatus, nec antice reflexus. Femora semper mutica.

Typus: — Rhynchaenus Quercus Auctor. Rh. rubicundus Gyll.

††) Thorax inaequalis, aut tuberculatus, aut margo anticus elevatus, reflexus.

*) Femora mutica.

Typus: — Rhynchaen. Geranii Gyll. — Congenerici: — Rh. Epilobii Gyll. — Rhynch. umbraculatus Fabr. — Curc. subrufus Herbst.

**) Femora dentata.

Typus: — Rh. didymus Auctor. — Congenerici: — Rh. Guttula et Lamii Fabr. — Rh. globulus Gyll. et species plures aliae.

Manipulus 2s. — Thoracis canalis inferus, plus minusve abbreviatus.

†) Thorax subaequalis, nec tuberculatus, nec antice reflexus.

*) Femora mutica.

Typus: — Rhynchaen. Sisymbrii Auctor.

**) Femora dentata.

Typus: — Ceutorh. Napi Germ. Beck.

††) Thorax inaequalis, aut tuberculatus, aut margo anticus elevatus, reflexus.

*) Femora mutica.

Typus: — Rhynch. assimilis Fabr. — Rh. Erysimi. Auct. Rh. contractus - depressicollis et Ericae Gyll. et aliae plures.

**) Femora dentata.

Typus: — Rh. Echii Auctor. — Congenerici: Rhynchaen. abbreviatulus, Litura et trimaculatus

Fabr. — Rh. viduatus et Asperifoliarum Gyll. — Curc. horridus Panz. et multo plures aliae.

Stirps 2a (Spurii. Rhinoncus nob. olim.) — Campylirhynchus Megerle. Dej. — Rostrum brevius, incrassatum. Femora semper mutica.

Typus: — Rhynch. 4-tuberculatus Fabr. — Huc referendae sunt: Rh. 4-cornis, inconspectus et subfasciatus Gyll. — Rh. pericarpius, Castor et gramineus Fabr. — guttalis Grav. — tessellatus Sturm.

A κεύθω occulto, ῥύγχος rostrum.

Observatio: — Hoc genus a natura satis distinctum videtur, species amplectens plurimas parvas, statura simillimas; huic sunt pygidium nudum, tibiae apice muticae corpusque rhombicum. Hae vero species, ratione rostri longiores l. brevioris, thoracis mutici l. tuberculati et femorum armaturae, in stirpes etc. facile dividuntur. At Stirps 2a hujus generis aliquanto aliter constructa est, habet enim rostrum brevius et crassius, caput saepius depressum et oculos magis prominulos, unde ab Ceutorhynchis genuinis 1ae Stirpis manifeste distinguitur.

Genus 174. **Mononychus** Schüpp. Germ. — Rhynchaenus Fabr. Oliv. — Falciger Dej.

Character generis: — Antennae breves, graciles; funiculo 7-articulato: articulis obconis, exterioribus gradatim brevioribus; clava oblongo-ovalis.

Rostrum elongatum, subtenue, arcuatum, cylindricum.

Thorax transversus, antrorsum valde attenuatus, coarctatus, versus scutellum productus; canalis inferus in pectus continuatus.

Elytra subquadrata, pone scutellum impressa, antice posticeque singulatim rotundata, abdomine breviora.

Tibiae ante apicem extus calcaratae; unguiculus tarsorum unicus et simplex.

Descriptio: — *Corpus* breve, subquadratum, subdepressum, dense squamosum, alatum. — *Antennae* rostro fere breviores, ante medium rostri insertae, graciles, fractae,

12-articulatae; scapo longiusculo, oculos non attingente, recto, clavato; funiculo 7-articulato: articulis exterioribus sensim brevioribus, subobconicis; clava oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata, articulo basali magno. — *Caput* antice impressum, postice convexum, longitudinaliter carinatum. — *Rostrum* thoracis longitudine, subtenue, cylindricum, modice arcuatum; scrobe angusta, sublineari, recta, ante medium incipiente, pone canthum inferiorem oculi exeunte. — *Oculi* laterales, distantes, rotundati, parum prominuli. — *Thorax* longitudine latior, antice multo angustior, truncatus, ad latera antica valde coarctatus, pone oculos vix lobatus, lateribus rotundatus, postice bisinuatus, versus scutellum productus, acuminatus, supra convexus, in medio saepius leviter canaliculatus, versus apicem profunde impressus, subtus pro receptione rostri canaliculatus; canalis in pectus continuatus, apice argute marginatus. — *Scutellum* vix conspicuum, profunde impressum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo vix triplo longiora, subquadrata, angulis humeralibus rotundatis: basi apiceque singulatim rotundata, in regione scutellari profunde impressa, postice convexa, abdomine breviora. — *Pygidium* apertum, semirotundatum. — *Pedes* breves, validi, subaequales, antici magis approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, subcompressis, apice truncatis, ante apicem extus calcaratis l. penicillatis; tarsis subtus spongiosis, articulo ultimo parum clavato, uniunguiculato.

Typus: — Rhynch. Pseudacori Auct. — Congenerici: Rh. vulpeculus Fabr. — Monon. Salviae Germ. — Curc. Ireos Pall.

A μόνος unus, ὄνυξ unguis.

Observatio. — Statura et facies ita, ut in Ceutorhynchi genere sunt comparatae; differt vero: magnitudine paullo majore, antennis semper ante medium rostri insertis, thorace versus scutellum in medio acuminato, tibiis ante apicem extus calcaratis et unguiculo tarsorum tantum uno.

****) Genus 175. Zygops nob. — Poecilma Germ. — Ecooptus Dej. Rhynchaenus Fabr.

Character generis: — Antennae longiusculae, tenues, ante medium rostri insertae; funiculo 7-articulato: articulo 1° breviusculo, obconico, 2° et 3° elongatis, subcylindricis, illo longissimo, reliquis brevibus, lenticularibus; clava ovalis.

Rostrum elongatum, subtenue, arcuatum, basi carinatum, versus apicem deplanatum.

Caput exsertum, hemisphaericum.

Oculi ovati, maximi, supra subcontigui.

Thorax oblongus, conicus, ante apicem transversim impressus.

Elytra thoracis basi vix latiora, oblongo-quadrata, apice subtruncata, abdomine breviora.

Pedes elongati; femora postica reliquis longiora.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, subcylindricum, alatum. — *Antennae* thoracis basin vix attingentes, ante medium rostri insertae, tenues, fractae, reflexae, 12 articulatae: articulo 1° clavato, oculum haud attingente, 2° breviusculo, obconico, 3 et 4 elongatis, subcylindricis, illo longissimo, 5-8 brevibus, lenticularibus; clava oblongo-ovali, 4-articulata, articulos aegre discernendis. — *Caput* exsertum, hemisphaericum. — *Rostrum* thorace paullo longius, inflexum, arcuatum, subtenue, teres, basi paullo crassius, carinatum, versus apicem laeve, denudatum, complanatum; scrobe lineari, ante medium incipiente, pone gulam in basi rostri exeunte. — *Oculi* ovati, convexi, supra fere coëuntes, totam capitis partem anticam occupantes. — *Thorax* longus, subconicus, antice late emarginatus, pone oculos sublobatus, postice in plerisque bisinuatus, ante scutellum productus, in quibusdam subtruncatus, supra modice convexus, ante apicem transversim impressus; canalis inferus, ante pedum anticorum basin terminatus, haud profunde exaratus, lateribus vero saepius distincte marginatus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum, saepius elevatum. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, quo vero bis et dimidio longiora, oblongo-quadrata, apice subtruncata, supra modice convexa, abdomine breviora. — *Abdomen* aequale, in medio depla-

natum. — *Pygidium* nudum, semirotundatum. — *Pedes* elongati, validi, antici approximati, postici valde distantes; femoribus parum clavatis, dentatis; postici fere elytris duplo longiores; tibiis breviusculis, compressis, apice unco valido, deflexo armatis; tarsis subtus exigue spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, illo longiore, penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Poecilma Wiedii Germ. — Congenerici: Rhynchaen. Strix Fabr. et octo adhuc indescriptae species. —

A ζεύγω jungo, ὤψ oculus.

Observatio: — Ad hoc genus omnes hujus divisionis retuli species, in quibus articulus secundus funiculi tertio multo longior, oculi maximi, in fronte subconnexi, totam fere capitis superficiem occupantes, et femora postica elongata, abdomen superantia. Insignes quaedam differentiae habituales praecipue in causa fuerunt, cur subgenera sequentia, a quibus genuini praesertim corpore magis cylindrico distinguuntur, proposuerim.

Subgenus A. Coptorus nob. — Poecilma Germ. — Rhynchaenus Fabr. — Coptopygus nob. olim.

Adumbratio: — *Antennae* ut in genere Zygopis genuini, praeter articulos funiculorum 2 et 3 paullo breviores. — *Caput*, *Rostrum* et *Oculi* ita etiam ut in genere Zygopi sunt constructi, differt vero thoracis basi in medio semper sinuato-lobata et canali infero profundiore, pectus transeunte et usque inter pedum intermediorum basin protenso, lateribus argute marginato. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, latitudine vix longiora, humeris obtuse angulatis; versus apicem parum et sensim attenuata, apice aut obtuse rotundata, aut pone suturam mucronata, supra planiuscula; abdomen et alas obtegentia. — *Abdomen* basi subinflatum, postice retusum. — *Pygidium* haud apertum. — *Pedes* elongati, angusti, antici nonnihil, postici valde distantes; femoribus vix clavatis, acute dentatis, posticis valde elongatis; tibiis et tarsis ut in Zygope genuino. — *Corpus*

breviusculum, rhombicum, supra saepius depressum, alatum.

Typus: — Poecilma papaveratum Germ. — Congenerici: Rh. Lamella Fabr. et tres indescriptae species.

A κόπτω scindo, amputo, οὐρὰ anus.

Observatio: — Huc pertinentes species structura sunt singulari, antice angustata, abdomine retuso, femoribus posticis longioribus, vix clavatis.

Subgenus B. Piazorus nob. — Poecilma Germ. — Cryptorhynchus Dej. — Rhynchaenus Fabr.

Adumbratio: — *Antennae*, *Caput*, *Rostrum* et *Oculi* ut in subgenere Coptori. — *Thorax* subconicus, basi leviter bisinuatus, apice late, non vero profunde subemarginatus, supra modice convexus; canalis inferus in pectus continuatus, apice distincte terminatus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi fere duplo latiora, humeris rectangulatis; latitudine duplo fere longiora, versus apicem sensim angustata, oblongo-triangularia, supra aut modice convexa, aut planiuscula, apice vel obtuse rotundata, vel mucronata, anum tegentia. — *Abdomen* basi subinflatum, apice non retusum. — *Pygidium* vix conspicuum. — *Pedes* elongati, validi, distantes; femoribus manifeste clavatis, posticis elongatis, dente valido acuto, armatis; tibiis et tarsis ut in genere Zygopis. — *Corpus* subovatum, alatum.

Typus: — Rhynchaen. pleuronectes Fabr. — Congenerici: — Poecilma stipitosum et ciliatum? Germ. — Rhynch. Cerastes Fabr. — Crypt. compactus Dej.

A πιάζω premo, οὐρὰ anus.

Observatio: — Subgeneri praecedenti Coptori proximum, a quo tamen facile dignoscitur elytrorum exactius fere forma triangulari, abdomine apice haud retuso, femoribus valde clavatis, praesertim posticis, subtus dente valido, acuto armatis.

Subgenus C. Coryssopus nob.

Adumbratio: — *Antennae* longiusculae, tenues, ante medium rostri insertae; funiculo 7-articulato: articulis om-

nibus obconicis, exterioribus sensim brevioribus; clava oblonga, obovata. — *Rostrum* vix longitudinem capitis thoracisque adaequans, arcuatum, subtenue, teres, basi paullo crassius, carinatum, versus apicem laeve, complanatum; scrobe pone gulam exeunte. — *Oculi* breviter ovati, convexi, supra subconjuncti. — *Thorax* transversus, anterius valde angustior, subconicus, basi subbisinuatus, ante scutellum productus, apice subtruncatus, supra convexus; canalis inferus usque inter pedum intermediorum basin continuatus, profundus, argute marginatus. — *Scutellum* distinctum, apice truncatum. — *Elytra* basi thoracis haud latiora, quo duplo longiora, pone basin ampliata, dein ad apicem usque sensim angustata, subtrigona, apice singulatim rotundata, paullulum gibba, abdomen tegentia. — *Pedes* validiusculi; femoribus anterioribus parum clavatis, posticis ultra elytrorum apicem protensis, sublinearibus, omnibus bidentatis; tibiis subteretibus, apice unco valido, deflexo armatis. — *Corpus* breve, valde convexum praesertim posterius, alatum.

Typus: — Zygops (Coryssopus) hexastichus nob. e Sierra Leona. — Nec plures species vidi.

A κορύσσω armo, πούς pes.

Observatio. — Antennae generis Zygopis aliter formatae suadere quidem videntur, ne hoc genus generi illi adscribatur; tam vero oculorum, quam rostri pedumque forma haud parum ei similis est, maxima tamen est similitudo cum subgenere Coptoro.

Genus 176. Mecopus Dalm. — Poecilma Germ. — Rhynchaenus Fabr., et Weber.

Character generis: — Antennae mediocres, tenues, versus apicem rostri insertae; scapus in mare vix ultra medium rostri extensus; funiculo 6-articulato: articulo 2° elongato; clava elongata, articulo 1° longo, basi angusto. —

Rostrum longissimum, filiforme.

Oculi maximi, subconnati.

Thorax transversus, pulvinatus; maris pectus subtus bispinosum, obsolete canaliculatum.

Elytra thoracis medio non latiora, oblongo-subquadrata. Pedes longissimi, graciles.

Descriptio: — *Corpus* suboblongum, alatum. — *Antennae* in mare vix oculos attingentes, versus apicem rostri adnexae; in femina ultra oculos se extendentes, pone medium rostri insertae, tenues, fractae, reflexae, 12-articulatae; scapo in mare vix ultra medium rostri extenso, recto, clavato; funiculo 6-articulato: articulo 1° obconico, 2° elongato, clavato, 3-6 brevissime obconicis; clava elongata, acuminata, 5-articulata, articulo 1° longo, basi tenui, reliquis brevibus, intermediis crassioribus, arcte connexis. — *Caput* exsertum, hemisphaericum. — *Rostrum* dimidio corporis longius vel magis, filiforme, basi rectum, apice arcuatum; scrobe versus apicem incipiente, angusta, obsoleta, sub basi rostri desinente. — *Oculi* maximi, convexi, subconjuncti, totam capitis anticam superficiem occupantes. — *Thorax* longitudine latior, basi bisinuatus, apice late sed non profunde emarginatus, antice paullo angustior, coarctatus, lobis ocularibus nullis; lateribus subaequaliter rotundatus, supra pulvinatus; maris antice a pectore spinis duabus porrectis validis, acutis armatus; canalis inferus, obsoletus, feminae thorax muticus; canalis vix ullus. *Scutellum* distinctum, oblongum. — *Elytra* thoracis medio non latiora, sed illo fere duplo longiora, oblongo-subquadrata, versus apicem sensim paullo angustata, apice ipso subtruncata, supra planiuscula; anus aliquantum prominet. — *Abdomen* postice quam maxime retusum. — *Pedes* longissimi, graciles, antici approximati, postici valde distantes; femoribus linearibus, denticulatis, intermediis brevibus; tibiis teretibus, apice unco valido, deflexo armatis, anticis intus crenulatis; tarsi tibiis paullo breviores, antici in mare subtus plumati, articulo 1° longissimo, gracili, 2° breviusculo, trigono, 3° paullo latiore, bilobo, ultimo brevi, clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. bispinosus Fabr. et Web. Unam speciem vidi.

A μῆκος longitudo, πούς pes.

Observatio: — Oculi magni et ipsa corporis forma magnam cum genere Zygopis indicant convenientiam, sed dis-

simillima antennarum pedumque structura, a ceteris omnibus, mihi notis, Curculionibus diversitatem efficit. Hoc quidem genus, etsi canalicula in inferiore latere thoracis haud satis conspicua sit et masculo solum adsit, heic tamen ponendum duxi, respectu partium quarundam cum genere supra dicto congruentia.

Genus 177. Lechriops nob. Rhynchaenus Fabr.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtennes, versus medium rostri insertae; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus obconicis, reliquis brevibus, nodosis; clava ovata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, subteres, parum arcuatum.

Oculi oblongo-subovati, margine inferiore acuminati, in fronte fere connexi, magni.

Thorax transversus, anterius paullo angustior, basi bisinuatus.

Elytra thoracis basi dimidio latiora, versus apicem parum angustata, oblongo-subquadrata, apice valde obtuse rotundata.

Tibiae breves, apice unco acuto, subdeflexo armatae.

Descriptio: — *Corpus* breve, oblongo-subquadratum, supra subdepressum, parvum, alatum. — *Antennae* rostro paullo longiores, versus medium rostri insertae, subtennes, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos haud attingente, clavato, 2 et 3 obconicis, illo crasso, 4-8 brevibus, nodosis, gradatim paullulum latioribus; clava ovata, subacuminata, 4-articulata. — *Caput* exsertum, hemisphaericum. — *Rostrum* thorace vix longius, validiusculum, subteres, inflexum, parum arcuatum; scrobe in medio incipiente, angusta, ante gulam exeunte. — *Oculi* valde oblongi, subovati, convexi, infra acuminati; in fronte fere connexi, dimidiam partem capitis anticam occupantes. — *Thorax* longitudine latior, antrorsum paullo angustior, ante apicem nonnihil coarctatus, subtruncatus, basi bisinuatus, lobis ocularibus caret, lateribus parum rotundatus, supra modice convexus; canalis inferus profundus, per totum pectus usque

ad intermediorum pedum basin exaratus, longitudinaliter protenditur. — *Scutellum* punctiforme, minutum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, thorace duplo longiora, versus apicem parum angustata, oblongo-subquadrata, apice obtusissime rotundata, supra parum convexa, dorso deplanata, abdomen obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Abdomen* basi subinflatum, postice retusum. — *Pedes* mediocres, validiusculi, postici valde distantes; femoribus parum clavatis, denticulatis, posticis paullo longioribus; tibiis breviusculis, subcompressis, apice unco acuto, subdeflexo armatis; tarsis breviusculis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore, bilobo, subtus spongioso, ultimo parum clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Sciurus? Fabr. — Unam tantum speciem a Dom. T. Lund Hafniae sub hoc nomine communicatam habeo.

A λέχριος obliquus, ὤψ oculus.

Observatio. — Quoad habitum inter hoc et genus Ceutorhynchi pariter ac Baridii quaedam intercedit similitudo; magni autem, ovati et convexi oculi, quorum inferior sinus in acutum apicem protenditur, aliquid ab hisce generibus diversum indicant. Caput hemisphaericum et abdomen retusum hoc genus generi Mecopi et subgeneri Coptori similitudine admovet.

Genus 178. Pinarus nob. — Poecilma Germ. — Cryptorhynchus Dej.

Character generis: — Antennae breviusculae, tenues, ante medium rostri insertae; funiculo 7-articulato: articulo 1° breviusculo, obconico, 2 et 3 elongatis, subcylindricis, illo longissimo, 4-7 brevibus, nodosis; clava ovalis, acuminata.

Rostrum elongatum, minus tenue, subarcuatum, teres.

Caput exsertum, antice depressum.

Oculi laterales, breviter ovati.

Thorax longus, subconicus.

Elytra oblongo-ovata, apice mucronata; humeri rectangulati.

Pedes mediocres, aequales.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, convexum, inaequale, squamosum, alatum. — *Antennae* ultra thoracis medium vix pertingentes, ante medium-rostri insertae, tenues, fractae, reflexae, 12-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, clavato, 2° breviusculo, obconico, 3 et 4 elongatis, subcylindricis, illo longissimo, 5-8 brevibus, nodosis, aequalibus; clava ovali, acuminata, distincte 4-articulata. — *Caput* exsertum, inter oculos depressum, supra deplanatum. — *Rostrum* capitis thoracisque longitudine, minus tenue, basi parum crassum, teres, versus apicem paullatim complanatum, arcuatum, denndatum; scrobe profunda, ante medium incipiente, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, breviter ovati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine longior, subconicus, basi leviter bisinuatus, apice in medio subemarginatus, supra modice convexus, inaequalis, pone oculos obsolete lobatus; canalis inferus, totum pectus longitudinaliter percurrit, profundus, argute marginatus. — *Scutellum* distinctum, rotundatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo triplo longiora, humeris rectangularibus; oblongo-ovata, supra convexa, inaequalia l. gibbosa, apice mucronata, dehiscentia, abdomen obtegentia. — *Pedes* mediocres, validi, distantes, longitudine subaequales; femoribus clavatis, obsolete l. vix dentatis; tibiis breviusculis, subcompressis, apice unco valido, deflexo armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo 1° longiusculo, subtrigono, ultimo clavato, valido, biunguiculato.

Typus: — Poecilma spiculum Germ. vel Cryptorh. squalidus Dej. Nullam aliam vidi.

A πιναρὸς sordidus.

Observatio: — Ut subgenus Zygopis hoc ponere non sum ausus, etsi antennae hujus cum illis maximam habeant similitudinem. Differt praecipue: oculis distantibus, minoribus, femoribus vix dentatis, posticis abdomine brevioribus. Facies generis genuini Cryptorhynchi.

*****) Genus 179. Centrinus nob. — Baris Germ. — Rhynchaenus Fabr.

Character generis: — Antennae mediocres, subtennes; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, subclavato, 2° paullo breviore, obconico, 3-7 multo brevioribus, etiam obconicis; clava ovalis, acuminata.

Rostrum saepius longissimum, filiforme.

Thorax basi bisinuatus, versus apicem valde attenuatus, pone caput tubulatus; canalis inferus, aut valde obsoletus, aut distinctus; pectus in mare saepius antrorsum bispinosum.

Elytra thoracis basi paullo latiora, a basi ad apicem sensim angustata, oblongo triangularia.

Tibiae apice truncatae, anticae unco minuto intus armatae.

Descriptio: — *Corpus* ovale, alatum. — *Antennae* thoracis medium non superantes; versus medium rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae; scapo elongato, clavato, basi tenui, oculos non attingente; funiculo 7-articulato: articulo 1° longiusculo, aut subclavato, aut subobconico, 2° paullo breviore, obconico, reliquis multo brevioribus, etiam obconicis; clava elongata, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* in plerisque corporis longitudine, saepius filiforme, tenue, fere subulatum, valde arcuatum, inflexum; scrobes curvatae, basi rostri subtus coëuntes. — *Caput* parvum, rotundatum, convexum. — *Oculi* ovati, distantes, demissi, depressi. — *Thorax* longitudine duplo fere latior, anterius valde angustior, pone caput tubulatus, subtruncatus, lobis ocularibus caret, lateribus rotundatus, postice plus minusve profunde bisinuatus, ante scutellum aliquantum productus, supra aut modice, aut valde convexus et pulvinatus; subtus pro receptione rostri canalis aut obsoletus, aut distinctus; in mare saepe ante pedum anticorum originem duae spinae longissimae, acutae, porrectae sunt. — *Scutellum* distinctum, aut apice truncatum, aut rotundatum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, sed illo fere duplo longiora, a basi ad apicem sensim angustata, oblongo-triangularia, dorso saepius planiuscula, ante apicem callosa, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, validiusculi, longitudine subaequales, distantes; fe-

moribus clavatis, aut muticis aut subdentatis; tibiis plerumque subcompressis, in aliis teretibus, apice truncatis, extus excavatis, anticis unco minuto intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulis duobus prioribus triangulatis, tertio multo latiore, bilobo, ultimo clavato, breviter biunguiculato.

Stirps 1ª. Thorax pro receptione rostri obsoletissime infra canaliculatus. Femora semper mutica.

Typus: — Baris bicuspis Germ. — Congenerici: Baris Olfersii, squamipes et gibbirostris Germ. — Rhynchaen. 4-vittatus Fabr. et octo adhuc indescriptae species.

Stirps 2ª. (Xystus nob. olim.) — Thorax plus minusve distincte infra canaliculatus. Femora plerumque subdentata.

Typus: — Ceutorhynchus sanguinicollis Germ. Congenerici: Centrinus Elephas et corruscus nob. Cryptorh. Leachii, Kirby et plures aliae species indescriptae.

A κεντρίνης aculeatus.

Observatio: — Respectu habitus generi Balanini simillimum, sed thorax ad basin magis sinuatus est et juxta caput tubulatus, elytra apice non singulatim rotundata, pedes distantes. A genere Baridii differt: forma corporis magis triangulari, elytris versus apicem sensim angustatis, antennis longioribus et minus crassis, articulisque funiculi non coarctatis, scapo oculos haud attingente. Cum genere Ceutorhynchi hoc genus apte conjungi, non mihi, ut Dom. Germaro, videtur; habent enim Ceutorhynchi scutellum vix conspicuum, elytra apice singulatim rotundata, pygidium distinctum, quae omnia heic aliter sunt. Potius ad genus Dionymeri nob. applicari posset, videtur tamen forma rostri, antennarum et femorum haud parum differre.

Subgenus Cylindrocerus nob.

Adumbratio: — Antennae longiusculae, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus obconicis, reliquis brevibus, nodosis, coarctatis; clava longissima, cylindrica, apice acuminata. — *Caput*, *Rostrum* et *Oculi* ut

in genere Centrini. — *Thorax* longitudine latitudinem baseos vix superans, basi bisinuatus, anterius valde et pone caput manifeste angustus, coarctatus, apice truncatus, subtus vix canaliculatus; pectus antice spinis duabus aut longissimis, acutis, recurvatis, aut brevibus, obtusis, rectis armatum. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo sesqui longiora, a basi ad apicem sensim angustata, oblongo-triangularia, dorso planiuscula, ante apicem non callosa; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* elongati, distantes; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, versus apicem sensim incrassatis, extus pro receptione tarsorum excavatis, anticis intus plumatis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis.

Typus: — Centrinus (Cylindroc.) Comma nob. e Brasilia, plures species haud vidi.

A κύλινδρος cylindrus, κέρας cornu.

Observatio: — Forma licet antennarum longe alia sit, ac in Centrinis genuinis, magna tamen intercedente convenientia non solum habitus, sed et partium quarundam aliarum, hoc ut diversum genus constituere non sum ausus.

Genus 180. Diorymerus nob. — Orobitis Germ. — Rhynchaenus Fabr.

Character generis: — Antennae breves, validiusculae; funiculo 7-articulato: articulis brevissime obconicis, coarctatis, crassitudine crescentibus; clava elongata, ovalis.

Rostrum longiusculum, crassiusculum; scrobs pone medium incipiens, curvata, versus gulam desinens.

Thorax ante scutellum productus, a medio ad apicem angustatus, deflexus, apice tubulatus, supra gibbus; canalis inferus, profundus, in pectus haud continuatus.

Elytra triangularia, gibba, pone humerum rotundato-ampliata.

Pedes compressi; femora subtus canaliculata; tibiae apice intus dente armatae.

Descriptio: — *Corpus* breve, subovatum, valde convexum l. gibbum, alatum. — *Antennae* rostro vix longiores, in medio rostri insertae, validae, fractae, 12-articula-

tae; articulo 1° oculos non attingente, clavato, 2° obconico, 3-8 brevissime obconicis, coarctatis, gradatim paullo latioribus; clava magna, elongata, ovali, acuminata, 4-articulata, articulis difficile discernendis — *Rostrum* thorace vix longius, crassiusculum, arcuatum, inflexum, teres; scrobe pone medium incipiente, curvata, versus gulam desinente. — *Caput* minutum, convexum. — *Oculi* ovati, distantes, demissi, depressi, magni. — *Thorax* latitudine longitudinem vix superans, subconicus, antrorsum angustior, basi obsolete bisinuatus, ante scutellum productus, lateribus subcompressis; pone caput tubulatus, in medio productus, lobis ocularibus nullis; supra aut gibbus, aut valde convexus, subtus pro receptione rostri exaratus; canalis profundus in pectus haud continuatus, coxae pedum anticorum tuberosae, inaequales, margo rimae ante coxam acutus. — *Scutellum* distinctum, apice subtruncatum. — *Elytra* basi thoracis latiora, quo fere sesqui longiora, triangularia, angulis humeralibus rotundatis, ampliatis, lateribus usque ad apicem sensim angustata, supra convexa, abdomen obtegentia. — *Pedes* breviusculi, robusti, longitudine subaequales, antici basi distantes; femoribus compressis, parum clavatis, haud dentatis, pro receptione tibiarum sulcatis; tibiis compressis, rectis, apice intus horizontaliter dentatis, posterioribus basi extus saepius angulatis; tarsis subtus spongiosis, articulis duobus basalibus triangularibus, penultimo multo latiore, bilobo, ultimo clavato, breviter biunguiculato.

Typus: — Orobitis altus Germ. — Congenerici: Orob. anceps, cardinatus et repens Germ. — Rhynchaen. gagates Fabr.

A διώρυξ canalis, μηρός femur.

Observatio: — Habitus valde congruit cum speciebus quibusdam generis Centrini, breviores tamen sunt antennae itemque rostrum, et structura robustiores, femora infra canaliculata.

Genus 181. Eurhinus nob. — Eurhin. Illig. Germ.

Character generis: — Antennae breves, subcrassae; funiculo 7-articulato, extus longitudinaliter impresso,

articulis transversis, latis, perfoliatis; clava conoidea, acuminata.

Rostrum elongatum, crassiusculum, teres, parum arcuatum, scrobe profundissima, pone medium incipiens, versus gulam excurrens.

Thorax basi profunde bisinuatus, ante medium mox angustatus, pone caput tubulatus, infra minus distincte canaliculatus.

Elytra subtriangularia, pone humerum ampliata, pygidium haud obtegentia.

Tibiae apice intus dente horizontali armatae.

Descriptio; — *Corpus* subovale, convexiusculum, alatum. — *Antennae* thoracem subattingentes, pone medium rostri insertae, saepius crassae, nonnunquam validae, fractae, 12-articulatae; scapo oculos haud attingente, clavato, funiculo 7-articulato, extus longitudinaliter plus minusve profunde impresso, aut crasso, subfusiformi, articulis transversis, brevissimis, latis, contractis, perfoliatis, aut valido, versus apicem sensim incrassato, articulis brevissime subobconicis, coarctatis; clava conoidea, acuminata, 4-articulata, articulis vix conspicuis. — *Rostrum* thoracis longitudine, crassiusculum, lineare, supra teres, subtus canaliculatum, parum arcuatum, inflexum; scrobe profundissima, pone medium incipiente, mox subtus flexa, pone gulam exeunte. — *Oculi* laterales, ovati, depressi, minores. — *Thorax* transversus; valde convexus, basi profunde bisinuatus, lateribus antrorsum lente, apice jam cito angustatus, pone caput tubulatus et truncatus, versus oculos non lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus; canalis pro receptione rostri latus, minus vero profundus, inter pedes primarios desinens, immarginatus. — *Scutellum* triangulare, sat distinctum. — *Elytra* basi thoracis paullo latiora, quo vix longiora, mox pone basin supra transverse impressa, pone humeros subangulato-ampliata, versus apicem valde angustata, cordato-triangularia, convexiuscula, apice ipso singulatim rotundata, pygidium haud obtegentia. — *Pedes* breviusculi, antici paullo longiores, distantes; femoribus subcylindricis, ante apicem

coarctatis; tibiis compressis, apice truncatis, intus dente horizontali armatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 2 et 3 latis, hoc bilobo, ultimo vix clavato, breviter biunguiculato.

Typus: — Eurhin cupratus Illig. — Congenerici: Eurh. flaturarius Germ. — Rhynch. festivus Fabr.

Ab εὖ bene et ῥὶν nasus.

Observatio: — Statura et facies ut in genere Diorymeri, antennae vero aliter sunt constructae; thorax infra minus profunde canaliculatus, pygidium apertum.

******) Genus 182. Orobitis Germ. — Rhynchaenus Oliv. Gyll. — Attelabus Fabr. — Curculio Linn. Herbst. Payk.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues, in medio rostri insertae; funiculo 7-articulato: articulis basalibus obconicis, reliquis lenticularibus; clava ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, arcuatum, inflexum.

Oculi supra subcontigui, magni.

Thorax brevissimus, transversus, anterius angustior, basi apiceque subtruncatus.

Elytra subrotundata, valde convexa, posterius attenuata, apice singulatim rotundata, dehiscentia.

Pedes demissi, femora subtus canaliculata.

Descriptio: — *Corpus* ovale, subglobosum, contractum, gibbum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque longiores, in medio rostri insertae, subtenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° elongato, oculos haud attingente, clavato, 2° longiusculo, obconico, 3-6 brevissime obconicis, 7 et 8 subrotundatis; clava ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* dimidii corporis longitudine, subtenue, teres, arcuatum, pectori arcte applicatum; scrobes lineares, subtus flexae, in basin rostri subtus coëuntes. — *Caput* intra thoracem fere retractum, fronte solum conspicua, parum convexum. — *Oculi* magni, depressi, in fronte approximati. — *Thorax* longitudine multo latior, anterius angustior, lateri-

bus rotundatus, antice posticeque subtruncatus, supra convexus; subtus canalis sensim explanatus, in pectus haud continuatus. — *Scutellum* distinctum, elevatum, punctiforme. — *Elytra* antice thoracis basi latiora, quo triplo longiora; humeris rotundatis; posterius attenuata, apice singulatim obtuse rotundata, dehiscentia, supra valde convexa, praesertim anterius gibbosa. — *Pedes* elongati, retractiles, basi distantes; femoribus curvatis, modice incrassatis, subtus pro receptione tibiarum, apice canaliculatis; tibiis rectis, teretibus, apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ultimo parum clavato, biunguiculato.

Typus: — Attelab. globosus Fabr. seu Rhynchaen. globosus Fabr. Gyll. — Curc. cyaneus Linn. Unica species mihi cognita.

Ab ὀροβίτης l. ὀροβοειδής ervo similis, quod ab ὄροβος ervum, εἶδος similis.

Observatio: — Forma singularis, contracta, globosa; in statu trepido femora perpendiculariter dimittit, tibias et tarsos remissas seu reclinatas occultat.

Genus 183. Cleogonus nob. — Orobitis Germ. — Rhynchaenus Fabr. Oliv.

Character generis: — Antennae breviusculae, minus tenues, versus apicem rostri insertae; funiculo 7-articulato, articulis duobus basalibus obconicis, reliquis brevibus, apice truncatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, teres, versus apicem arcuatum.

Oculi et supra et infra subcontigui, magni.

Thorax subconicus, basi in medio et pone oculos lobatus.

Elytra ovata, convexa, antice singulatim producta, apice obtuse rotundata.

Descriptio: — *Corpus* ovale, convexum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque longiores, versus apicem rostri insertae, minus tenues, fractae, 12-articulatae: articulo 1° oculos vix attingente, recto, clavato, 2° et 3° breviusculis,

obconicis, 4-8 brevibus, apice truncatis, gradatim paullo latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* thoracis longitudine, crassiusculum, lineare, inflexum, supra teres, subtus deplanatum, versus apicem arcuatum; scrobe versus apicem incipiente, profunda, subtus flexa, in basi rostri pone gulam desinente. — *Caput* exsertum, convexum. — *Oculi* et supra et infra subcontigui, convexi, magni. — *Thorax* longitudine latitudinem vix superans, conicus, convexus, antrorsum sensim attenuatus, postice vix sinuatus, pone scutellum prominenter lobatus, antice parum prominulus, lobis pone oculos exignis, subtus pro receptione rostri profunde exaratus; canalis inter pedum anticorum basin evanescit. — *Scutellum* distinctum, oblongum, supra planum. — *Elytra* basi thoracis latiora, quo triplo longiora, ovata, convexa, antice singulatim aliquantum producta, humeris retusis, obtuse angulatis; apice ipso obtuse rotundata, abdomen obtegentia. — *Pedes* longiusculi, perpendiculariter demissi, basi distantes; femoribus sublinearibus, rectis, muticis, subtus pro receptione tibiarum sulcatis; tibiis compressis, rectis, posterioribus apice intus dente horizontali, minuto instructis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bilobo, unguiculo brevi, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. rubetra Fabr. — Rhynch. gagates Oliv. — Nec plures praeter hanc vidi.

A κλήω adstringo γόνυ genu.

Observatio: — Quoad habitum cum generi Orobitidis, tum Ocladii simile, sed ab illo differt antennarum insertione prope apicem rostri, capite, elytris et tibiis longe aliter constructis. — Genus Ocladii alis scutelloque conspicuo caret; antennae et elytra aliter formata.

Genus 184. Ocladius nob. — Rhynchaenus Oliv.

Character generis: — Antennae mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato; primis insequentibus articulis paullo longioribus, obconicis, reliquis brevibus, apice truncatis; clava ovalis, acuminata.

Rostrum elongatum, teres, arcuatum, minus tenue.

Oculi parvi, subrotundati, immersi.

Thorax aut conicus, aut subglobosus; lobi oculares distincti.

Elytra subovata, lateribus abdomen subincludentia, supra valde convexa.

Femora subtus canaliculata; tibiae inflexae.

Descriptio: — *Corpus* ovale, breve, valde convexum, fornicatum, durum, apterum. — *Antennae* capite rostroque longiores, in medio rostri insertae, subtenues, fractae; 12-articulatae: articulo 1° oculos non attingente, clavato, 2 et 4 subelongatis, obconicis, reliquis brevibus, apice truncatis, exterioribus paullatim crassioribus; clava oblonga, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capitis thoracisque longitudine, validiusculum, teres, lineare, modice arcuatum, sulcatum; scrobe recta, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, subrotundati, immersi, parvi. — *Thorax* in plerisque conicus, modice convexus, basi truncatus, antice supra caput productus, pone oculos lobatus in nonnullis subglobosus valde convexus; canalis subtus sensim explanatus. — *Scutellum* obsoletum, saepius haud observandum. — *Elytra* ampla, subovata, connata, basi thoracis haud latiora, quo duplo longiora, mox pone basin nonnihil ampliata, lateribus abdomen subincludentia, versus apicem sensim angustata, supra, praesertim posterius, valde convexa. — *Pedes* longiusculi, validiusculi, demissi, longitudine subaequales; femoribus rectis, sublinearibus, muticis, subtus pro receptione tibiarum sulcatis; tibiis inflexis, validis, aut subangulatis, aut subteretibus, apice truncatis, unco minuto intus instructis; tarsis reflexis, subtus minus spongiosis, articulis duobus prioribus subtriangulatis, tertio paullo latiore, bilobo, unguiculari articulo parum clavato, breviter biunguiculato.

Typus: — Rhynch. Salicorniae Oliv. — Congener. Oclad. pertusus nob. patria me fugit, forte Arabia e Mus. Reg. Holm. — Oclad. glomeris nob. ex Ind. orient.

Ab ὀκλαδίας qui genua flectit.

Observatio: — Quae primum nominantur species respectu habitus quandam habent congruentiam cum Cleogoni

genere; defectus vero scutelli et alarum, elytrorumque latera, quae ad partem abdomen includunt, nec non antennae longae aliter constructae, essentiales differentias efficiunt.

Sectio 2a. Antennae 10 vel 9 articulatae. (Funiculus semper 6-articulatus.)

(*Divisio 4ta.* **Cionides.** Antennae breviusculae; funiculus 5-articulatus; clava 3 l. 4 articulata.)

Genus 185. **Cionus** Clairv., Latr., Germ., Dej. — **Rhynchaenus** Fabr. Gyll. Oliv. — **Curculio** Linn. — **Cleopus** Dej.

Character generis: — Antennae breviusculae, subtenues; funiculo 5-articulato: articulis duobus basalibus obconicis, reliquis brevibus, apice subtruncatis; clava oblongo-ovalis, indistincte articulata.

Rostrum elongatum, teres, arcuatum.

Thorax parvus, transversus, anterius angustior, basi apiceque subtruncatus.

Elytra ampla, convexa, quadrato-ovata, anum obtegentia.

Tibiae apice truncatae, muticae.

Descriptio: — *Corpus* quadrato-ovatum, paullo longius quam latius, fornicatum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque paullo longiores, versus medium rostri insertae, subtenues, fractae, reflexae, 10-articulatae: articulo 1° elongato, oculos subattingente, recto, parum clavato, 2 et 3 obconicis, reliquis brevibus, subnodosis l. apice subtruncatis; clava oblongo-ovali, apice acuminata, articulis 4 arcte connexis. — *Rostrum* capite thoraceque longius et ultra, subtenue, teres, modice arcuatum, inflexum; scrobe lineari, pone gulam exeunte. — *Oculi* majusculi, ovati, parum prominuli, aut laterales, aut in fronte parum approximati, — *Thorax* parvus, longitudine latior, anterius angustior, truncatus, basi subbisinuatus, supra modice convexus, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* distinctum, oblongum, apice rotundatum, depressum. — *Elytra* magna,

quadrato-ovata, thoracis basi fere duplo latiora, quo plus quadruplo longiora, humeris elevatis, rectangulatis; supra convexa, dorso antico tamen deplanata, pygidium obtegentia. — *Pedes* breviusculi, longitudine subaequales, validi, antici approximati; femoribus clavatis, incrassatis, dentatis; tibiis subteretibus, apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 triangularibus, 3° dilatato, bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Cionus Scrophulariae Auctor. — Congenerici: Cion. Verbasci, Thapsi, olens, Blattariae, Fraxini, pulchellus, Solani et setiger Germ. Cionus nomen antiquum, teste Oliv.

Genus 186. Gymnaetron nob. — Cionus Germ. — Rhynchaenus Fabr. Gyll. — Cleopus Dej.

Character generis: — Antennae breves, subtenues; funiculo 5-articulato: articulis 1 et 2 obconicis, 3-5 brevibus, apice subtruncatis, in plerisque versus apicem gradatim paullo latioribus; clava ovata, 4-articulata.

Rostrum elongatum, aut teres, arcuatum, aut subrectum, versus apicem attenuatum.

Thorax brevissimus, transversus, anguli postici saepius rotundati, supra parum convexus; in paucis subtus canaliculatus.

Elytra aut subovata, modice convexa, aut planiuscula, subquadrata, pygidium plus minusve obtegentia.

Tibiae anteriores apice unco minuto intus instructae.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, subovatum, in plerisque minus convexum, alatum. — *Antennae* vix rostri capitisque longitudine, in nonnullis subtenues, in ceteris validae, fractae, 10-articulatae: articulo 1° elongato, clavato, oculos vix attingente, 2 et 3 obconicis, 4-6 brevibus, apice subtruncatis, aut subrotundatis, crassitudine sensim saepius crescentibus; clava majuscula, breviter ovata, 4-articulata, articulis arcte conjunctis. — *Rostrum* in masculis thoracis longitudine, in feminis paullo longius, subtenue, inflexum; in plerisque teres, arcuatum, in quibusdam subrectum, versus apicem attenuatum; scrobe lineari, in basi

rostri subtus desinente. — *Oculi* majusculi, laterales, aut rotundati, prominuli, aut ovati, subdepressi. — *Thorax* brevissimus, longitudine latior, antice angustior, basi apiceque subtruncatus, lateribus angulisque posticis rotundatus, supra in aliis modice, in aliis parum convexus, subtus in nonnullis pro receptione rostri profunde canaliculatus; canalis in pectus haud continuatus. — *Scutellum* apice rotundatum. — *Elytra* forma variant: aut subovata, thoracis basi paullo latiora, sed illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis; supra modice convexa, anum subobtegentia; aut subquadrata, thoracis medio paullo latiora, quo plus triplo longiora, humeris antrorsum subprominulis; supra dorso depressa, pygidium haud obtegentia. — *Pedes* mediocres, longitudine subaequales, validi; femoribus clavatis, in nonnullis subtus denticulatis; tibiis subteretibus, apice subtruncatis, anterioribus apice interiore denticulo minuto armatis; tarsis subtus spongiosis, articulis duobus basalibus triangularibus, penultimo dilatato, bilobo, ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

Stirps 1a. — Rostrum filiforme. Elytra subovata, convexa. Pygidium ab elytris vix tectum.

Typus: — Rhynchaen. Beccabungae Fabr. Gyll. — Congenerici: Cion. Veronicae, pascuorum, rostellum et labialis Germ.

Stirps 2a — (Miarus nob. olim.) Rostrum filiforme, in canalicula pectorali immersum. Elytra planiuscula, subquadrata. Pygidium apertum.

Typus: — Rhynchaenus Campanulae Auct. — Congenerici: Rhynch. graminis Gyll. — Cionus plantarum et micros Germ.

Stirps 3a. — Rostrum liberum, versus apicem saepius attenuatum. Elytra planiuscula, subquadrata; humeri antrorsum subprominuli. Pygidium apertum.

Typus: — Rh. teter. Fabr. — Congenerici: Cion. Antirrhini et Linariae Germ. — Rhynchaen. collinus Gyll. — Cion. noctis Germ. l. Rh. Antirrhini Gyllenh.

A *γυμνὸς* nudus, *ἦτρον* imus venter.

Observatio. — Quibusdam in partibus hoc quidem genus cum genere Cioni valde convenit; cum vero antennae paullo breviores sint, funiculus saepissime crassior et extrorsum densior, clava antennarum breviter ovata, tibiae anteriores apice intus denticulo instructae, thorax et elytra longe sint alius structurae; has omnes dissimilitudines ut characteres diversi generis statuendas esse, putaverim.

Genus 187. Mecinus Germ. Dej. — Rhynchaenus Gyllenh.

Character generis: — Antennae breves, minus tenues; funiculo 5-articulato: articulis 1 et 2 obconicis, illo longiore, 3-5 transversis; clava ovalis, subsolida.

Rostrum breviusculum, validiusculum, deflexum, teres.

Thorax subcylindricus, summo apice attenuatus.

Elytra elongata, subcylindrica, anum obtegentia.

Tibiae apice unco intus armatae.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, subcylindricum, alatum. — *Antennae* capite rostroque paullo longiores, in medio rostri insertae, minus tenues, fractae, reflexae, 10-articulatae: articulo 1° elongato, clavato, oculos haud attingente, 2° et 3° longiusculis, obconicis, illo majore, 4-6 brevibus, transversis; clava ovali, subsolida, articulis 4 arctissime conjunctis. — *Rostrum* thoracis longitudine vel brevius, validiusculum, teres, plus minusve arcuatum, deflexum; scrobe pone medium incipiente, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* majusculi, ovati, parum convexi. — *Thorax* longitudine vix latior, subcylindricus, antice summo apice paullo angustior, basi apiceque truncatus, supra modice convexus. — *Scutellum* triangulare. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, quo triplo longiora, linearia, subcylindrica, convexa, apice obtuse rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* breviusculi, validi, antici approximati; femoribus crassis, aut armatis, aut muticis; tibiis omnibus compressis, apice oblique truncatis, intus unco horizontali armatis; tarsis sub-

tus spongiosis, articulis duobus basalibus triangulatis, 3° latiore, bilobo, ultimo gracili, elongato, biunguiculato.

Typus: — Mecin. Pyrastre Germ. l. Rhynchaen. semicylindricus Gyll. — Congenerici: Mecin. marginatus et collaris Germ.

A μῆκος longitudo.

Observatio. — Habitu haud dissimile generi Baridii. Quoad formam antennarum quandam habet cum Cioni et Gymnetronis convenientiam, sed clava antennarum subsolida est. Omnes tibiae ad apicem intus unguiculo instructae sunt.

Genus 188. Nanodes nob. — Cionus Clairv. Germ. — Orobitis Dej. Rhynchaenus Fabr. — Gyll. Sphaerula Megerle.

Character generis: — Antennae longiusculae, subtenues; funiculo 5-articulato: articulo primo insequentibus paullo longiore; clava majuscula, oblongo-ovalis, apice acuminata, distincte 3-articulata.

Rostrum elongatum, teres, parum arcuatum.

Thorax conicus, antrorsum valde angustatus.

Elytra gibba, subovata.

Tibiae apice truncatae, muticae.

Descriptio: — *Corpus* minoris magnitudinis, valde convexum l. gibbum, ovale, utrinque attenuatum, alatum. — *Antennae* capite rostroque longiores, pone medium rostri insertae, tenues, fractae, 9-articulatae: articulo 1° elongato, oculos subattingente, recto, sublineari, 2° oblongo-ovato, 3° breviore, obconico, 4-6 paullo brevioribus, nodosis; clava majuscula, oblongo-ovali, 3-articulata, articulis distinctis, duobus basalibus subtransversis, apice truncatis, ultimo parum elongato, versus apicem sensim angustato, acuminato. — *Rostrum* capite thoraceque fere longius, validum, teres, lineare, parum arcuatum; scrobe angusta, pone gulam exeunte. — *Caput* minutum, angustum. — *Oculi* laterales, rotundati, parum convexi. — *Thorax* fere conicus,

antrorsum valde angustatus, truncatus, basi subbisinuatus, supra convexus. — *Scutellum* minutissimum, vix conspicuum. — *Elytra* antice vix thoracis basi latiora, quo plus triplo longiora, humeris subelevatis; supra anterius valde convexa, subgibbosa, posterius attenuata, subovata, pygidium obtegentia. — *Pedes* longiusculi, antici approximati; femoribus in medio valde incrassatis, muticis; tibiis rectis, teretibus, subtenuibus, apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 triangularibus, 3° bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Rhynchaen. Lythri. Auctor. — Congenerici: Cion. Ulmi-pallidulus et globulus Germ. — Orob. Tamarisci Dej.

A ναννώδης pumilio, pumilionis formam habens.

Observatio. — A genere Cioni mox dignoscitur: clava antennarum majuscula, oblongo-ovali, distincte 3-articulata, forma corporis valde convexa, utrinque attenuata.

Sectio 3a. Antennae 10, 9, 8, 7 articulatae. (Funiculus variat numero articulorum: 6, 7 et 4.)

Divisio 5ta. Calandraeides: Antennae mediocres; funiculus 6-articulatus, clava aut biarticulata, aut indistincte articulata, subsolida. Rostrum aut deflexum, aut porrectum.)

Subdivisio 1a. (Cryptopygi). Pygidium elytra tegunt.

Genus 189. Rhina Latr. Oliv. Illig. Lixus Fabr.

Character generis: — Antennae mediocres; funiculo 6-articulato; clava elongata, cylindrica, apice compressa, subsolida.

Rostrum elongatum, porrectum, subteres, supra inaequale, apice utrinque reflexum.

Thorax subovatus, perparum convexus.

Elytra elongata, cylindrica.

Pedes praecipue antici elongati.

Descriptio: — *Corpus* majoris magnitudinis, oblongo-subcylindricum, convexum, alatum. — *Antennae* thoracis medium pertingentes, in medio rostri insertae, subtenues, fractae, 9-articulatae; scapo elongato, oculos attingente, clavato; funiculo 6-articulato: in uno sexu, (quem opinor esse marem) articulis subobconicis, secundo longiore, clavato, in altero (femina) 2° et 3° obconicis, illo brevi, 3-6 aequalibus, subglobosis; clava elongata, ovali, cylindrica, apice compressa, subacuta, excorticata, subsolida, vel molliore substantia, nec (interna solum basi excepta), cute coriacea vestita. — *Rostrum* longitudine, variat: in uno sexu capitis thoracisque longitudine in altero brevius, porrectum, subteres, supra inaequale, apice utrinque reflexum; scrobe in medio incipiente, subtus flexa, ante basin rostri desinente. — *Oculi* maximi, oblongi, modice convexi, et supra et infra subconnati, totam anticam capitis superficiem occupantes. — *Thorax* latitudine longior, subovatus, basi obsolete bisinuatus, antice subtruncatus, in medio leviter emarginatus, supra nonnihil convexus. — *Scutellum* triangulatum. — *Elytra* thoracis medio vix latiora, quo vero plus duplo longiora, humeris obtuse angulatis; subcylindrica, convexa, apice obtuse rotundata. — *Pygidium* saepius nudum, semirotundatum. — *Pedes* elongati, antici reliquis longiores, distantes; femoribus simplicibus, subcylindricis, compressis; tibiae intus spinis paucis instructae, et apice unco magno, subhorizontali armatae; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulis duobus prioribus subclavatis, 3° latiore, bilobo, ultimo longiore, subclavato, unguibus duobus validis praedito.

Typus: — Rhina barbirostris Latr. Oliv. (♂?) — Rhina verrirostris (♀?) Illig. — Huc, opinor referri quoque posse: Rhina scrutator Oliv.

A ῥιν nasus.

Genus 190. Sipalus nob. — Calandra Fabr.

Character generis: — Antennae breviusculae, validae; funiculo 6-articulato: articulis brevibus, apice truncatis, 8° et 9° clavam pyriformem construentibus.

Rostrum elongatum, teretiusculum, deflexum.

Thorax subovatus, basi truncatus, pone oculos plus minusve lobatus.

Elytra oblongo-ovata, convexa.

Pedes longi; tarsi angustati, subtus haud spongiosi.

Descriptio: — *Corpus* convexum, rigidum, oblongum, subcylindricum, alatum. — *Antennae* thoracis medium vix pertingentes, versus medium rostri insertae, validae, fractae, 9-articulatae; scapo elongato, aut clavato, aut obconico, oculorum marginem inferiorem subattingente; funiculo subcylindrico, 6-articulato: articulis aut 1° et 2° obconicis, aut omnibus aequalibus, brevibus, apice truncatis; clava pyriformi, bi-articulata, articulo basali rigido, saepius apice utrinque rotundato-producto, in aliis truncato, ultimo spongioso, breviter ovato, acuminato. — *Rostrum* thoracis longitudine, validum, teretiusculum, ante antennarum insertionem crassius, arcuatum, deflexum; scrobes profundae, sensim subtus flexae, in medio incipientes, in basin rostri subtus coëuntes. — *Oculi* oblongi, infra caput conniventes, depressi, magni. — *Thorax* latitudine longior, aut subcylindricus, aut subobovatus, basi truncatus, ad latera antica coarctatus, supra parum convexus, versus oculos plus minusve distincte lobatus. — *Scutellum* triangulare, distinctum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora, quo triplo longiora, humeris obtuse angulatis; oblongo-ovata, convexa, versus apicem subcallosa, pygidium tegentia. — *Pedes* longi, validi, antici reliquis longiores, approximati; femoribus simplicibus, sublinearibus, versus apicem vix incrassatis; tibiis teretibus, omnibus apice inflexis, interiore unco valido armatis; tarsis angustatis, subtus canaliculatis, haud spongiosis, articulis subtrigonis, penultimo haud distincte bilobo, ultimo elongato, subclavato, biunguiculato, unguibus longis, gracilibus.

Typus: — Calandra granulata Fabr. — Congenerici: Sipal. mendicus et porriginosus nob.

A σικαλός, difficilis, deformis.

Observatio: — Hoc genus habitu generi Heilipi aliquanto simile est. Constructione vero antennarum ad Calandram propius accedit. Valde quoque affine generi Oxyrhinchi, sed antennae fractae, haud porrectae, scutellum triangulare, tarsi angustiores, subtus canaliculati.

Subdivisio 2ª. (Gymnopygi.) Pygidium nudum, seu ab elytris non tectum.

Genus 191. Rhynchophorus Herbst. — Calandra Clairv. Fabr. Oliv. Latr. — Curculio Linn. De Geer. — Cordyle Thunb. Billb.

Character generis: — Antennae versus basin rostri insertae, funiculo 6-articulato; clava biarticulata, aut brevis, aut magis elongata, compressa, truncata, articulo ultimo spongioso.

Rostrum elongatum, teres, ante insertionem antennarum incrassatum.

Thorax subovatus, antice angustior, collo quasi annulari caput arcte cingens, postice rotundatus, supra planiusculus.

Elytra plana, anum non obtegentia.

Pedes plerumque breviusculi; tarsi subtus spongiosi, articulus penultimus cordatus, haud distincte bilobus.

Descriptio: — *Corpus* elliptico-ovatum, supra planum, alatum, species plures amplectens maximas. — *Antennae* thoracis medium vix superantes, prope basin rostri sub tuberculo laterali insertae, validiusculae, fractae, 9-articulatae; scapo elongato, thoracem attingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo reflexo, 6-articulato: articulis brevibus, 1 et 2 turbinato-obconicis, reliquis aut apice truncatis, aut subglobosis; clava biarticulata, aut brevi, subsecuriformi, aut magis elongata, subovata, articulo ultimo spongioso, truncato, compresso-acuminato l. cultrato, retractili. — *Rostrum* longitudine thoracis, validum, subde-

flexum, teres, ante insertionem antennarum crassius, saepius arcuatum, rarius rectum; scrobe ad basin rostri lateraliter posita, brevissima, profundissima, curvata. — *Oculi* oblongi, caput subtus cingentes, immersi. — *Thorax* magnus, latitudine longior, subovatus, anterius angustior, truncatus, coarctatus, linea transversa impressa, collum quasi annuliforme formante notatus, postice semirotundatus, supra planiusculus, subtus integer. — *Scutellum* in plerisque elongatum, acuminatum, in paucis punctiforme. — *Elytra* thoracis basi paullo latiora, quo sesqui longiora, humeris obtuse subangulatis, prominulis; antice simul introrsum rotundato-emarginata, apice abbreviata, truncata, supra planiuscula, lateribus rectis. — *Pygidium* apertum, acute prominulum. — *Pedes* in plerisque breviusculi, validi, basi distantes, subtus saepius ciliati; femoribus modice incrassatis, compressis, muticis; tibiis valde compressis, uncovalido, corneo, ad apicem subdeflexo armatis; tarsis gracilibus, articulo 1° elongato, subclavato, 2° trigono, 3° latiore, cordato, supra ad sequentis insertionem excavato, subtus spongioso, non distincte bilobo, 4° elongato, clavato, biunguiculato.

Stirps 1ª. — Clava antennarum brevis.

Typus: — Calandra palmarum Auctor. — Congenerici: Cal. serrirostris — Borassi, Phoenicis, Schach, longipes et ferruginea Fabr. — rubiginea et haemorrhoidalis Wiedem.

Stirps 2ª. — Clava antennarum magis elongata.

Typus: — Calandra abbreviata Auctor. — Congenerici: Rhynchophag. gages Hbst. — Cal. picea Oliv. — Cal. sordida, sublata, et Carmelita Germ. — Cal. funebris Illig. — Cal. limbata; 4-punctata, hemiptera et cribraria Fabr. et plures aliae species.

A ῥύγχος rostrum, φορὸς ferens.

Observatio: — Hoc genus valde conspicuum reddunt antennarum insertio prope basin rostri, elytra abbreviata et clava antennarum, cujus articulus extremus spongiosus est,

sed forma longe alia ac ceterorum ad hanc Divisionem pertinentium generum.

Optaverim quidem, ut huic generi nomen vulgo usitatum Calandra retinere potuissem; sed Calandrae granariae hoc proprie competit jus, cum ita nominetur in plerisque Galliae regionibus, et Meriana Curculionem granarium prima ita dixit; antiquam igitur Herbstii denominationem reposui.

Cordyle Thunb. nomen antea impositum, ut opinor, generi cuidam piscium.

Larvae maximam ad partem in medulla quarundam arborum, imprimis palmarum vivunt, paucae tamen species sub lapidibus in terra inveniuntur.

Subgenus Calandra. Clairv. Fabr. Oliv. Latr. Gyll. — Rhynchophorus Herbst. — Curculio Linn. De Geer.

Adumbratio: — *Antennae* rostro capiteque vix longiores, prope basin rostri insertae; scapo thoracem attingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato, minus tenui: articulis brevibus, subcoarctatis, apice truncatis; clava elongato-subovata, subacuminata, articulo ultimo spongioso. — *Rostrum* elongatum, teres, subdeflexum, saepius parum arcuatum. — *Thorax* valde elongatus, anterius paullo angustior, basi apiceque truncatus, supra subdepressus. — *Elytra* thoracis basi haud latiora, quo vix longiora, lateribus rectis; supra parum convexa, apice rotundata, abdomine breviora. — *Pedes* breviusculi; tibiis intus saepius denticulatis, apice intus unco armatis; tarsis reflexis, subtus vix spongiosis, articulo penultimo subbilobo. — *Corpus* subdepressum, alatum, minoris magnitudinis.

Typus: — Calandra granaria Auctor. — Congenerici: Cal. frumenti et Oryzae Fabr.

A καλεῖν vocare et ἀνήρ homo; (Liungh in Web. et Mohr Arch. I. 1. p. 71.

Observatio: — Species hujus subgeneris in seminibus frumentariis vitam degunt. — Forma clavae antennarum, thorax apice truncatus hoc subgenus a Rhynchophoris distinguunt.

(*Divisio* 6ta. Cossonides. Antennae breves; funiculus 7-articulatus; clava aut biarticulata, aut subsolida. Rostrum subdeflexum. Pygidium elytra tegunt.)

Genus 192. Amorphocerus nob.

Character generis: — Antennae breves, crassae; funiculo 7-articulato: articulis transversis, perfoliatis; clava breviter subovata, biarticulata, articulo ultimo spongioso.

Rostrum longiusculum, subcrassum, arcuatum.

Thorax antrorsum paullo angustior, basi apiceque truncatus.

Elytra elongata, linearia, supra modice convexa.

Tibiae versus apicem dilatatae, unco magno, subdeflexo armatae; articulus penultimus tarsorum latior, bilobus.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, angustum, supra parum convexum, alatum. — *Antennae* rostro capiteque vix longiores, in medio rostri insertae, crassae, fractae, 10-articulatae; scapo oculos superante, crasso, clavato, versus apicem in latere interiore angulato-dilatato; funiculo 7-articulato: articulo 1° brevissime obconico, crasso, reliquis multo brevioribus, transversis, perfoliatis; clava breviter subovata, biarticulata, articulo basali rigido, ultimo spongioso, extus subcompresso. — *Caput* porrectum, subconvexum. — *Rostrum* vix capite duplo longius, deflexum, subcrassum, subteres, nonnihil complanatum, arcuatum; scrobe pone medium incipiente, profunda, latiuscula, infra oculos desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, modice convexi, magni. — *Thorax* oblongus, antrorsum paullo angustior, coarctatus, antice posticeque truncatus, lateribus parum rotundatus, supra parum convexus, subtus integer. — *Scutellum*

parvum, rotundatum, vix conspicuum. — *Elytra* thorace vix latiora, sed fere duplo longiora, linearia, supra modice convexa, apice rotundata, abdomen obtegentia. — *Pedes* breviusculi, validi, distantes, longitudine subaequales; femoribus valde clavatis, compressis; tibiis versus apicem dilatatis, anticis supra excavatis, tarsos recipientibus, apice subtruncatis, denticulis extus et intus instructis, et praeterea in medio unco magno subdeflexo armatis; tarsis brevibus, articulis 1 et 2 subtriangularibus, 3° manifeste latiore, distincte bilobo, subtus spongioso, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Amorphocer. Talpa nob. e Cap. b. sp. hanc unam vidi.

Ab ἄμορφος deformis, κέρας cornu.

Observatio: — Quoad habitum generi Cossoni valde simile, dissimile vero antennarum, tibiarum et tarsorum structura, ut etiam clava antennarum distincte biarticulata, claram indicat diversitatem.

Genus 193. Cossonus. Clairv. Fabr. Latr. Germ. Gyll. — Curculio Linn. Herbst. Panz. Payk. — Hylesinus Fabr.

Character generis: — Antennae breves, crassiusculae; funiculo 7-articulato: articuli basales sequentibus paullo longiores, subobconici, reliquis brevibus, transversis, subperfoliatis; clava magna, ovata, subsolida.

Rostrum elongatum, apice dilatatum.

Thorax oblongus, subquadrangulatus, supra subplanus.

Elytra elongata, linearia, supra modice convexa.

Tarsi graciles, articulus penultimus angustatus.

Descriptio: — *Corpus* parvum, valde elongatum, sublineare vel subcylindricum, antice angustatum, durum, alatum. — *Antennae* capite rostroque fere longiores, pone medium rostri insertae, inflexae, fractae, crassiusculae; articulo 1° oculos attingente, clavato, 2 et 3 longiusculis, sub-

obconicis, 4-8 brevibus, transversis, apice truncatis vel subperfoliatis; clava magna, ovata, quasi subspongiosa, subsolida, articulis 3 l. 4 indistinctis, interdum haud omnino discernendis. — *Rostrum* vix capite duplo longius, subdeflexum, basi in plerisque angustum, extrorsum aut valde incrassatum, aut dilatatum, parum arcuatum, in paucis lineare, subteres; scrobes prope apicem incipientes, profundae, lineares, statim subtus flexae, in basin rostri coëuntes. — *Caput* porrectum, convexum. — *Oculi* laterales, rotundati, depressi. — *Thorax* latitudine multo longior, subquadrangulatus, juxta apicem jam cito angustior, coarctatus, basi apiceque truncatus, lateribus et angulis posticis parum rotundatus, supra aliquantisper convexus, saepius dorso postice longitrorsum impresso. — *Scutellum* parvum, rotundatum. — *Elytra* thorace vix latiora, sed plus duplo longiora, linearia, supra modice convexa, apice obtuse rotundata, anum occultantia. — *Pedes* breviusculi, validi, distantes, subaequales; femoribus clavatis, muticis; tibiis subteretibus, basi angustatis, apice extus unco magno, deflexo armatis, anticis extus excavatis, tarsos recipientibus; tarsis gracilibus, articulo basali longiusculo, obconico, 2 et 3 brevibus, angustatis, subcylindricis, ultimo clavato, biunguiculato.

Typus: — Cosson. linearis Auctor. — Congenerici: — C. ferrugineus Clairv. — Hylesinus brevipes et canaliculatus Fabr. — Cossonus Squama et elongatulus Fabr. —

A Cossus seu Cossis nomen antiquum apud Plinium.

Observatio: — Valde affine videtur generi Hylesini (Hylurg. Latr.) ex familia Xylophagorum et sicut hi in annosis truncis arboreis vivunt. Horum vero antennae haud fractae sunt, tarsique habent quinque articulos, quorum tamen quatuor solum conspicui sunt; articulus minus evidens proxime ad articulum unguicularem locum sibi vindicat, tenuis est, interdum quidem conspicitur, sed saepissime sub articulum tertium retractus. Eandem cum Bostrichi genere (Tomicus Latr.) rationem inveni.

Subgenus **Rhyncholus.** Creutz. Megerle, Dej. — Cossonus Germ. Gyll. — Hylesinus Fabr. — Curculio Linn. Payk. Herbst.

Adumbratio: — Antennae breves, crassiusculae, in medio rostri insertae; funiculo 7-articulato: articulo basali majore, obconico, reliquis brevibus, subperfoliatis; clava minuta, aut oblongo-ovali, aut brevi, obtusa, indistincte articulata, quasi spongiosa. — *Rostrum* lineare, in plerisque brevissimum, latitudine capitis, quo vix longius; in aliis capite duplo longius, cylindricum. — *Oculi* rotundati, laterales, modice prominuli. — *Thorax* oblongus, convexus. — *Elytra* elongata, convexa, subcylindrica. — *Tarsi* graciles, in plerisque articuli omnes angustati, in nonnullis (ex. gr. Rh. chloropo) articulus penultimus paullo latior, bilobus. — *Corpus* minutum, subcylindricum, durum, alatum.

Typus: — Cossonus (Rhyncolus) chloropus Gyll. — Congenerici: Coss. lignarius Gyll. — Rhyncol. crassirostris Creutz. — Rhynch. brevirostris Megerle, aliaeque plures.

A ῥυγχος rostrum, ὅλος atramentum.

Observatio: — Videtur essentialiter differre a Cossonis genuinis, quod primus tantum articulus in funiculo antennarum ceteris longior est, clava minor, rostrum aliter constructum et corpus magis convexum.

(*Divisio* 7a. **Dryophthorides.** Antennae breves; funiculus 4-articulatus. Rostrum subdeflexum. Pygidium elytra tegunt.)

Genus 194. **Dryophthorus.** Schüpp. et Germ. in litt. Lixus Fabr. — Cossonus Gyll. — Oliv. — Curculio Herbst. Payk. Panz. Bulbifer. Meg. Dej.

Character generis: — Antennae breves, crassiusculae; funiculo 4-articulato; clava ovalis, subsolida, apice pubescens.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, teres.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, ante apicem subconstrictus.

Elytra elongata, convexa, versus apicem attenuata, ad latera apicis utrinque carinata.

Tibiae angustatae, apice unco subdeflexo armatae; tarsi graciles, 5-articulati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, exsculptum, durum, pulvere griseo plerumque obductum, alatum. — *Antennae* breves, rostro paullo longiores, ante medium rostri insertae, validae, fractae; scapo supra oculos sese extendente, versus apicem incrassato, subclavato, parum recurvato: funiculo 4-articulato: articulis 1 et 2 breviusculis, subobconicis, 3 et 4 paullo brevioribus, subcylindricis, coarctatis, gradatim crassitudine crescentibus; clava ovali, subsolida, apice ex substantia molliore veluti spongiosa, pubescente, setis 4-6 subtilibus instructa. — *Rostrum* capite duplo longius, crassiusculum, teres, subarcuatum; scrobe brevi, curvata, pone marginem oculi desinente. — *Caput* porrectum, modice convexum. — *Oculi* laterales, oblongi, depressi, parvi. — *Thorax* latitudine longior, antice angustior, ante apicem transversim impressus, fere constrictus, basi apiceque subtruncatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* haud observandum. — *Elytra* thoracis basi latiora, quo plus duplo longiora, humeris obtuse angulatis; versus apicem attenuata, utrinque ad latera apicis carina obliqua argute elevata, apice ipso obtuse rotundata, subtruncata, anum occultantia. — *Pedes* breviusculi, subtenues, aequales, parum distantes; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis angustatis, teretibus, apice unco valido, subdeflexo armatis; tarsis gracilibus 5-articulatis, articulo 1° subobconico, 2, 3 et 4 subcylindricis, hoc paullo minore et angustiore, 5° seu ultimo elongato, sublineari, biunguiculato.

Typus: — Lixus Lymexylon Fabr. vel Cossonus idm. Gyll. — Hanc unam vidi speciem.

A δρῦς arbor, quercus, φθείρω rodo, edo.

Observatio: — Habitu haud multum differt a genere Bagoi, sed ab omnibus, quae ad hanc familiam numerantur generibus, evidentissime discrepat; tarsi enim quinque articulis valde conspicuis instructi sunt. Tales aberrationes naturae, etsi rarae sint, plures tamen afferendas habemus. Genus Platypi quinque habet articulos conspicuos in omnibus tarsis, cum e contrario Apate, Cis; Phloeotribus et Coptogaster quatuor modo; quin immo vero nonnunquam fit, ut diversi sexus ejusdem speciei inaequalem habeant numerum articulorum in tarsis, ex. gr. Cucujus depressus, species quaedam generis Cryptophagi.

INDEX ALPHABETICUS

ORDINUM, LEGIONUM, DIVISIONUM, GENERUM ET SUBGENERUM.

Obs. Nomina Legionum, Divisionum Ordinumque litteris grandioribus, nomina Generum litteris minoribus et subgenerum obliquis litteris designantur.



